B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

1565

P. OVIDIVS NASO

METAMORPHOSES

EDIDIT

WILLIAM S. ANDERSON

EDITIO STEREOTYPA
EDITIONIS ALTERIVS
(MCMLXXXII)

BEROLINI ET NOVI EBORACI
WALTER DE GRUYTER MMVIII

∞ Gedruckt auf säurefreiem Papier,
das die US-ANSI-Norm über Haltbarkeit erfüllt.

ISBN 978-3-598-71565-5

Bibliografische Information der Deutschen Nationalbibliothek

Die Deutsche Nationalbibliothek verzeichnet diese Publikation in der Deutschen Nationalbibliografie; detaillierte bibliografische Daten sind im Internet über http://dnb.d-nb.de abrufbar.

© Copyright 2008 by Walter de Gruyter GmbH & Co. KG, D-10785 Berlin
Dieses Werk einschließlich aller seiner Teile ist urheberrechtlich geschützt. Jede Verwertung außerhalb der engen Grenzen des Urheberrechtsgesetzes ist ohne Zustimmung des Verlages unzulässig und strafbar. Das gilt insbesondere für Vervielfältigungen, Übersetzungen, Mikroverfilmungen und die Einspeicherung und Verarbeitung in elektronischen Systemen.

Printed in Germany
Druck und Bindung: AZ Druck und Datentechnik GmbH, Kempten

PRAEFATIO

Aetas Ovidiana, quae prima fuit, Ovidio vivente incepta post eius mortem circa centum et quinquaginta annos duravit. nam ingenium, ars, gratia, lascivia quoque apud scriptores rhetoresque Romanos tantum valuere, ut eius versus a Seneca rhetore et eius filio, a Quintiliano, Iuvenale, Statio, Apuleio persaepe aut afferrentur aut ad imitationem conferrentur aut castigarentur. versibus autem hexametris soli Vergilii Aeneidi cesserunt Metamorphoseon libri.

Altera aetas Ovidiana, quae exeunte saeculo XI incepit, effecit ut Metamorphoseon libri manuscripti multis lectoribus, qui opus tam amabile valde admirabantur, satis praesto essent. ex multis autem Metamorphoseon codicibus, quos ab huius aetatis alterius initio usque ad annum 1471 (quo primi libri Metamorphoseon Bononiae et Romae impressi sunt) Ovidii amatores ubivis lectitabant, circa quadringenti hodie supersunt.[1])

Tamen inter has duas aetates agebantur multi anni, praesertim saeculorum VII et VIII, quibus Ovidii lectores iam nobis ignoti sunt. omnia quoque Metamorphoseon exemplaria, quae ante aetatem Caroli regis exstiterant, iamdiu perierunt. quamquam Metamorphoseon vestigia hic illic indagare possumus, quae manifeste indicant haud paucos codices prioribus annis fuisse in manibus scriptorum (Lactantii, Augustini, Ambrosii), poetarum (Paulini, Prudentii, Claudiani, Ennodii, Sedulii, Fortunati), commentatorum Vergilii, Horatii, Statii, etiam grammaticorum (praesertim Prisciani saec. VI qui versus ex omnibus libris quindecim affert), incertum est quomodo poema tam pretiosum postea superstes fuerit, quae exemplaria aut quod exemplar quibus in locis aut in quo loco ad saec. VIII/IX permanserint. sed ratio simplicissima et inde gratissima iamdiu fuit haec: unum codicem solum ad aetatem Caroli Magni superstitem exemplar fuisse omnium codicum posteriorum. quamvis

1) F. Munari, Catalogue of the Manuscripts of Ovid's Metamorphoses, BICS Supplement 4 (1957). ad quem haec duo supplementa addidit: RF 93 (1965) 288–97; Studia Florentina Alexandro Ronconi sexagenario oblata (Roma 1970) 275–80.

mihi suspectae sint rationes faciliores, et falsa videantur ea quae ex hoc exemplari sic posito concludunt aliqui, tamen eis assentior qui affirmant unum solum exemplar satis verisimile esse. nam adhuc non redargutum est. non solum complures errores, qui omnes libros deformant, sed etiam quaedam lectiones quae dicuntur duplices ante aetatem Caroli regis et ideo ante omnes codices quos nunc habemus ortae sunt.

Ut docti aevi Carolini praeclaram operam poetis Latinis, sc. Lucano et Iuvenali, corrigendis emendandisque dederunt, sic conicimus eiusdem aevi doctos Metamorphoseon versibus vehementer prorsus studuisse. poetae enim saec. IX (Ermoldus Nigellus, Heiricus, Mico) variis imitationibus se Ovidii poema diligenter legisse testificantur. codicum autem saec. IX et X sex fragmenta nunc exstant, quorum tria in Gallia, unum in Germania, unum in Italia, unum aut in Helvetia aut in Italia septentrionali exscripta sunt. quae fragmenta, vestigia antiquissima traditionis Metamorphoseon, breviter tractabo.

α Bernensis Bibl. Civ. 363, saec. IX exeuntis (fortasse inter 856 et 869), ff. 197.[1]) codex miscellaneus una manu insulari aut in Helvetia (S. Galli) aut in Italia (apud S. Columbani coenobium Bobbiense) exscriptus. ff. 187–188v praebent Met. 1.1–199, 304–9, 773–9, titulos quos Lactantianos vocant libri 2, 2.1–22, titulos libri 3, 3.1–56.

π Parisinus lat. 12246, saec. IX exeunte in Gallia exscriptus, ff. duo initio codicis recentioris insuta. continent Met. 1.81–193 cum fabulis Lactantianis, quae in textu scriptae sunt, 2.67–254.[2]) ultima autem pagina (2.161–254) tam trita et evanida est, ut plurimis in locis legi non possit.

λ Lipsiensis Bibl. Civ. 48 (Rep. I/74), saec. IX exeuntis, ff. 63. codex miscellaneus in Gallia (immo Aureliae, teste L. Traube) descriptus. ff. 28v–31 praebent Met. 3.131–252 cum titulo Lactantiano „Actaeon in cervum".

---

1) De aetate et origine Bernensis vide A. Bernardini, Studi intorno alla storia e alla critica del testo delle Metamorfose di Ovidio: Il ‚Fragmentum Bernense' (B), SIFC 17 (1909) 203–30; L. Bieler, Umbrae codicum occidentalium V (Amstelodami 1960), Praef. p. xx.

2) E. Chatelain, Sur deux fragments de manuscrits des Métamorphoses d'Ovide, Cinquantenaire de l'École des Hautes Études = Bibl. École Hautes Ét. 230 (1921) 289–302, affirmavit Parisinum 12246 vetustiorem Bernensi 363 esse.

v Vaticanus Urbinas 342, codex Iuvenalis saec. X exeuntis, cuius ad calcem insuta sunt duo folia (ff. 77–78) saec. X ineunte in Gallia exscripta. f. 77 continet Met. 5.483–6.45; f. 78 continet 7.731–8.104. quae duo folia plurimis in locis legi non possunt.

β Londinensis Mus. Brit. Add. 11967, saec. X in Italia exscriptus, ff. IV. 29. continet Met. 2.833–3.510 (ff. 1–8), 4.292–5.389 (ff. 9–21), 5.588–6.411 (ff. 22–29) cum narrationibus Lactantianis quae in textum introductae sunt. in fine f. 29v incipit fabula de Tereo et Procne (ad 6.412sq.).

ε Londinensis Mus. Brit. Harl. 2610, saec. X exeuntis, ff. 1–37 ex libro qui tres codices in Germania descriptos complectitur. continet Met. 1.1–3.622; f. 37v vacuum est. in marginibus libri 1 fabulae Lactantianae 1–10 sine titulis ab altera manu posteriore adscriptae sunt.

Quoniam quinque ex his sex fragmentis versus librorum 1–3 continent et *βv* simul 5.588–6.45 praebent, nunc haec, nunc illa conferre possumus. nam *ε* eosdem versus praebet ac *α* et *π* et *λ*; *β* eosdem quoque ac *λ* praebet; et *β* cum *ε* 2.833–3.510 continet. tria itaque fragmenta utiliter simul conferre possumus: *αεπ* per 1.81–193, *αβε* per 3.1–56, *βελ* per 3.131–252. quibus conlatis lectiones alicuius momenti infra dabo, ut divisiones, quas in bonis codicibus saeculorum posteriorum repperimus, iam prius insitas esse demonstrem. (A = consensus fragmentorum et codicum EFLMNPUW)

1.2	nam vos A	nam di *αε*EP^3
15	utque *α*h utqua *ε*ELU^3	atque N at qua W quaque F^{2}M^{2}P
	aer *α*LWeh	aether *ε*A
59	regant MW^1	regat *ε*A rotat *α*
70	fuerant caligine caeca (multa N) *α*N massa latuere sub	
		ipsa *ε*A
91–3	*praebent* MW	*omittunt αεπ*A
121	domos *απ*A	domus *ε*MW^{1}h
132	dabat LMNUW	dabant *α*(*ε*)*π*EPe dabunt *ε*
135	auras *απ*ENUW	aurae *ε*LM^{2}P
152	gigantas *αε*N^{1}P^{2}U	gigantes *π*LMN^{2}P^{1}W
155	subiectae *α*M^1	subiecto *επ*A
166	animo *απ*EN^{1}PU	animos *ε*^{1}LMN^{2}W
190	corpus *αε*LMPU^2	vulnus *π*^{1}EL^{2}N^{2}W^{3}e
307	possit *ε*A	posset *α*e

2.74	ages πFLM^{2}W	agis εENPU
75	ne – auferat A	nec – auferet $\varepsilon\pi$E
93	pectora $\varepsilon\pi$NP	pectore EFLMUW
116	quem εMPW quam πF	qua E tum LN^2 (*in ras.*) U
146/7	*hoc ordine* A 147.146 π (*corr.*) 147 *omittunt* εM	
157	caeli π^2MN^{4}U^{3}W	mundi $\varepsilon\pi^1$EFLP
160	ortos A	ortus $\varepsilon\pi$
179	iacentes πEFLM^{2}N^{4}PU	patentes (-is ε) εM^1(N^1)P^{2}Wp
191–4	*hoc ordine* A	191.193.194.192 $\varepsilon\pi$FLM
204	hac A	ac $\varepsilon\pi$LM
218	tum MN tunc EFLPW	tu// π nunc U modo ε
3.39	urnae αN^3	undae $\beta\varepsilon$A
	reliquit $\alpha\beta^1$EFLNPU	relinquit $\beta^2\varepsilon$MW
49	funesti αPh	funesta $\beta\varepsilon$A
52	leoni αLN^{1}P^{2}UW	leonis $\beta\varepsilon$FM^{1}P^1
136	est βEFMNPUW	*omittunt* $\varepsilon\lambda$Lh
175	*praebent* $\varepsilon\lambda$EFLPUW	*omittunt* β^1M^{1}N^1
178	viso nudae βMNU	nudae viso $\varepsilon\lambda$ELPW
205	timor hoc pudor λEWeh	pudor hoc timor $\beta\varepsilon$LMNPU
207	dedere $\beta\lambda$M	dederunt εELNPUW
234	exierat $\beta\varepsilon$ELMN^{1}PW^1	exierant λN^{2}Ueh
235	anticipata $\beta\lambda$MW	praecipitata εELNPU
242	rabidum $\varepsilon\lambda$	rapidum βA
	hortatibus $\beta\lambda$M	latratibus εA
247	videre εELPUW	videri β (*ex corr.*) λMN

Hae lectiones selectae demonstrant fragmenta Metamorphoseon vetustissima plurimis in locis inter se discordavisse et codices saeculi IX plus minus contaminatos esse. nam non solum $\alpha\pi\lambda$ singuli lectiones varias primum exhibent quae modo in his modo illis codicibus posterioribus reperiuntur, sed etiam affinitates inter se, immo vero cum β et ε, fortuitas brevesque faciunt. praeterea omnia haec fragmenta saec. IX et X quibusdam in versibus (sc. 1.2, 132, 2.75, 147, 160, 191/4, 204) lectionem peiorem praebent; sed codices aliquantum recentiores, lectionem Ovidii veram servantes, testantur se ex exemplaribus descriptos esse quae textum Ovidianum hic illic fidelius quam $\alpha\pi\lambda$ transmiserunt. constat quoque β et υ inter se modo concordare, modo discordare. quamquam enim haec fragmenta, saepius inter se quam β cum ε concordantia, sua exemplaria aliquo modo inter se magis coniuncta fuisse indicant, tamen υ, paulo vetustior sed mendosus, primus praebet errores quos codices recentiores varie

accipiunt: e. g. 5.615 si **β A** sit v^1**P**^{1}**o v**; 658 recipit **β A** recepit **v L**; 6.26 tempora **β A** tempore **v L**; 34 relinquit **β MNUW** reliquit (-d **v**) **v EFLPe**.[1])

Ex manifestis discordiae et contaminationis indiciis licet haec concludere:

1. Nullum ex sex fragmentis antiquissimis per se auctoritatem certam habet. H. Magnus autem contendit **α**, ut testem textus Ovidiani cum vetustissimum tum fidelissimum, lectiones praebere quas, quamvis raras aut unicas, aliorum codicum lectionibus anteponere debemus. at contra Bernardini minoris pretii **α** fecit[2]), et Chatelain tentavit **π**, scilicet ut vetustiorem et veriorem, ante **α** ponere.[3]) multi etiam lectiones unicas quas **λ** praebet tamquam manifeste veras accipiunt. sed si omnia fragmenta veterrima contaminata sunt et studia doctorum aetatis Carolinae exhibent, tum omnes eorum lectiones, praesertim unicae, nobis prudenter ponderandae sunt.

2. Eis qui stemma aliquod horum fragmentorum hariolari tentaverunt non feliciter evenit. stemma quidem quod Bruère, praeeunte Smith, ingeniose elaboravit hoc posito incipit: archetypum (**X**) aetatis Caroli regis duas familias, **Y** et **Z**, generavisse.[4]) testes autem familiae **Y** soli sunt **α** et fortasse **λ**; ex his nullus codex qui nunc est notus prognatus est. tamen Bruère affirmavit haec duo fragmenta (aut eorum familiam), codices qui „deteriores" fere vocantur contaminantia, posteris bonas lectiones transmisisse. cui familiae **Y** tam minutae et, ut ita dicam, contemptibili conferenda est familia **Z** tam potens et numerosissima, ut, omnes codices (duobus **α** et **λ** solis exceptis), qui nobis praesto sunt, sc. quadringentos generans, pro maxima parte indiscreta, indistincta, quasi inutilis sit. docti autem saec. XIX (sc. Merkel, Riese, Magnus, Ehwald) classem **O**, quae **βMN** et recentiorem **ϰ**(S) complectitur, de codicibus innumerabilibus distinxerunt et separaverunt, verum tam confidenter et simpliciter, ut lectiones horum quattuor codicum, contemptis aliis, paene semper acciperent.[5])

---

1) Huc accedit quod in 7.731–8.104 **v** modo cum familia **MN** modo cum aliis codicibus varie consentit, ita ut ex improviso hic lectionem veram servet, illic errores primus exhibeat.

2) Vide supra p. VI adn. 1.

3) Vide supra p. VI adn. 2.

4) W. F. Smith, De Ovidii Metamorphoseon aliquot codicibus recensendis, HSCP 36 (1925) 183–4; R. T. Bruère, The Manuscript Tradition of Ovid's Metamorphoses, HSCP 50 (1939) 95–122.

5) Vide normam artis criticae exercendae quam H. Magnus in Praefatione (p. xxv–xxvi) editionis sibi adhibuit.

docti vero nostri saeculi (sc. Rand, Smith, Slater, Bruère, Otis), multis in locis lectiones „deteriorum" contra classem **O** bene defendentes, familiam **Z** melius disponere conati sunt. ergo ex **Z**, ut eis visum est, $\mathbf{Z}^1$ et $\mathbf{Z}^2$ prognati sunt.

Bruère putabat testes esse π et υ familiae $\mathbf{Z}^1$, quae ferme lectiones **Z** fidelius servavisse videretur. mihi contra suspectus est honor fragmento π datus, quippe quod, ut supra demonstravi, iam contaminatum complures errores exhibet, praeterea saepe discordat cum **MN** qui, quamvis recentiores, nobis $\mathbf{Z}^1$ satis constanter repraesentant. testis familiae $\mathbf{Z}^2$ antiquissimus, ut Bruère affirmavit, ε est, cui fratrem iuniorem, praeeunte Smith, τ (fragmentum Tegernseense) dedit. mihi contra suspectus est honor fragmento τ sic excogitatus, quippe quod ut ducentis annis recentius ita amplius contaminatum et pluribus mendis deformatum est, praeterea tantum centum et undecim versus simul cum ε (1.135–89, 295–350) praebet. de quo alias plenius disputabo. (vide et p. XXIII.)

Manet β, quod solum ex fragmentis antiquissimis cum codicibus saec. posterioris certe coniunctum est: adhaeret enim eidem familiae ac **M** et **N** et $\varkappa$ (**S**); cui nomen **O** Magnus dedit. cuius familiae necessitudines subtilius elaborare possumus. itaque quoniam β**M** et **N**, miro modo inter se consentientes, tamen saepe lectiones diversas praebent, β**MN** ex eodem bono exemplari $\mathbf{Z}^1$ non descripti sunt: ergo ex $\mathbf{Z}^1$ prognati sunt $\mathbf{Z}^3$ et $\mathbf{Z}^5$ fratres, qui generarent ille β**M**, hic **N**. eodem modo, ut exponamus qua ratione **N** et **U** inter se nunc concordent, nunc discordent, $\mathbf{Z}^7$ et frater codicis **N** et codicis **U** parens nobis repraesentandus est. tamen non tam subtiliter vincula inter fragmenta vetusta $\alpha\,\varepsilon\,\lambda\,\pi\,\upsilon$ ut affinitates certae classis β**MNU** elaborari possunt. multa sunt obscura incertaque de **Y** (= $\alpha\,\lambda$), de $\mathbf{Z}^1$ (= $\pi\,\upsilon$), de $\mathbf{Z}^2$ (= $\varepsilon\,\tau$). excogitare stemma quod bonas lectiones codicum „deteriorum" iam notas sustentaret et doctos stimularet, ut alias res utiles ex fontibus adhuc contemptis promerent, laudabile erat. stemma autem quod Bruère, praeeunte Smith, fabricavit non placet, primum quod cognatio inter ε et τ ($\mathbf{Z}^2$) incerta est, deinde quod affirmaverunt omnes saeculorum XI et XII codices, **MNU** $\varkappa\,\mu$ exceptis, a $\mathbf{Z}^2$ per fictum parentem $\mathbf{Z}^4$ profectos fuisse. etiamsi codices familiae $\mathbf{Z}^2$ nunc plane „deteriores" vocare illicitum est, tamen plures huius familiae codices indiscreti manent, omnes ex ignoto $\mathbf{Z}^4$ prognati, ut credit Bruère. pro mea autem parte, codicibus **EFLP** diligenter investigatis, conclusi hoc modo: plurimis in versibus inter se tam diverse concordant aut discordant, ut plures parentes quam solus $\mathbf{Z}^4$ (fortasse etiam quam $\mathbf{Z}^2$) agnoscendi sint; praeterea, ut eorum

classis codicem U contaminavit, sic ei a codicibus classis O diversis modis contaminati sunt: nam lectiones communes inter O et EFLP (aut singulos aut omnes simul) exstant, partim quod omnes ex fratribus Z^1 et Z^2 profecti sunt, partim quod inter se et suos parentes nescioquae contaminationes factae sunt. stemma quidem, quamvis ingeniosissimum, nobis haud multo auxilio est.

3. Difficile, immo periculosum est codices distinguere et aestimare indagando materiam quae Lactantiana vocatur. adhuc nescimus quando ista materies scripta sit, quando et quomodo cum quibusdam codicibus coniuncta sit.[1]) plena autem materies Lactantiana constat ex serie titulorum quae ad initium libri cuiusque stat, ex titulis et fabularum narrationibus quae singulae novam Ovidii fabulam exponunt. verum sex fragmenta vetustissima demonstrant quam diverse res Lactantiana textum Ovidianum iam saec. IX et X penetraverit. nam et β et π in textu titulos narrationesque praebent.[2]) sed π et β (sc. MN, qui cognatum β bene repraesentant in fabulis 3–6 libri 1, quas solas π servat) satis frequenter inter se discordant, ut dubium sit an utrumque β et π e Z^1 similiter prognatum fuerit, inde an Z^1 res Lactantianas iam continuerit. contra υ, quod Bruère item e Z^1 prognatum putat, nil omnino Lactantianum praebet. inter quos fines variant tria reliqua $\alpha\,\varepsilon\,\lambda$. nam α nec titulos nec narrationes praebet, sed ad initia librorum 2 et 3 series titulorum dat.[3]) si exemplar (Y) de quo α descriptum est codicibus posterioribus simile fuit, conicere possumus id aut series titulorum solas inter libros exhibuisse aut etiam in textu (aut fortasse in marginibus sicut N et W) narrationes praebuisse, quas librarius sane α neglexit. hoc an illud, incertum est. scriba vero qui ε exscripsit consilium manifeste iniit, ne res Lactantianas ad suos labores adderet; et verisimile est exemplar istis rebus caruisse. non multis autem annis post alter scriba ex altero exemplari narrationes Lactantianas sine titulis in marginibus libri 1 describere coepit. qui scriba post fabulam 10 desiit. itaque diversi sunt fontes de quibus textus Ovidianus in ε et res Lactantianae derivati sunt. scimus autem exemplar Lactantianum in Germania iam saec. X/XI exstitisse. postremo λ, superposito titulo Lactantiano, fabulam de Actaeone solam conservat. sunt vero codices vetusti, e. g. L, qui titulos solos sine narrationibus in marginibus praebent. utrum simile an aliud

1) Vide B. Otis, The *Argumenta* of the so-called Lactantius, HSCP 47 (1936) 131–63.

2) Quamquam π nulla librorum initia servat, verisimile est id, sicut β, seriem titulorum exhibuisse.

3) Seriem autem titulorum ad initium libri 1 α omittit.

fuerit exemplar (Y) de quo λ exscriptum est, incertum est. testes ergo ut textus Ovidiani sic rerum Lactantianarum manifeste diversi sunt sex fragmenta antiqua.

E fragmentis igitur vetustissimis, utpote quae contaminationis maculis foedata sint, textus nobis erat faciendus eclecticus; eclectice item utendum est integris codicibus antiquis, ut textum librorum quindecim Metamorphoseon satis fideliter constituamus. ergo praeter sex fragmenta supra investigata hic textus octo codicibus maxime nititur.

M Marcianus Florentinus 225, saec. XI exeunte in Italia exscriptus, ff. 119. continet Met. 1.1 – 14.830. desinit ad imam paginam f. 119r; f. 119v vacuum est. omittit 8.340 – 402 (quos in margine non multo post suppleverunt tres manus), 13.276 – 343, 14.272 – 307.[1]) praebet etiam in textu plenam materiam Lactantianam prima manu exscriptam. contuli. Marciano primus usus est Heinsius, qui eum „optimum" iudicavit. de novo R. Merkel eum, item ut optimum, ad editionem Teubnerianam anni 1861 adhibuit. bonus, non optimus est. nam plurimis erroribus et lectionibus dubiis deformatus suspicionem movet, ubicumque lectionem unicam exhibet.

N Neapolitanus Bibl. Naz. IV.F.3, saec. XI exeunte aut XII ineunte in Italia exscriptus, ff. 201. pars vetustissima, sc. ff. 3 – 189r, manu Beneventana quae formam Bariensem, ut nominata est, habuit scripta est.[2]) continet Met. 1.1 – 14.851. contuli. de f. 189r post Riese omnes editores, praeeunte Magno, erraverunt: superior pars (14.839 – 51) manu Beneventana saec. XII, inferior pars (15.1 – 16) manu Gothica saec. XIV scripta est. pars altera, sc. ff. 189r (inferior pagina) – 201, continet librum 15 tribus manibus saec. XIV scriptum. omittit 8.340 – 402, 13.276 – 343 sicut **M** (sed non 14.272 – 307), quos supplevit, foliis 103 et 161 – 2 inepte insutis, manus Beneventana circa quinquaginta annis recentior. amisit duo folia quae 1.198 – 255 et 2.121 – 81 continebant; quae postea manus saec. XIV supplevit. quattuor manus imprimis distinguo: N^1 maximam partem textus 1.1 – 14.839 (adiuvante in ff. 82v – 90v scriba aequali) exscripsit; N^2, manus item Beneventana, sed circa quinquaginta annis recentior,

---

1) De versibus omissis et archetypo reconstituto vide G. Luck, Untersuchungen zur Textgeschichte Ovids (Heidelberg 1969), 54 – 76.

2) De aetate, origine, scriptura codicis N vide G. Cavallo, La trasmissione dei testi nell'area beneventano-cassinese, Settimane di studio del Centro italiano di studi sull'alto medioevo 22 (1974) 357 – 424; C. Bertelli, ibidem 924 – 926.

omnes libros aut eradendo et rescribendo aut (praesertim in ultimis libris) novas lectiones suprascribendo correxit; N^3, manus Gothica saec. XIII, lectiones alteras et glossemata maximam partem suprascribendo addidit; N^4, manus Gothica saec. XIV diversa, duo folia amissa supplevit, librum 15 addidit, multas lectiones deformavit, multa glossemata suprascripsit.[1]) Neapolitano primus usus est Heinsius, qui eum non maximi pretii fecit. A. Riese de novo **N** anno 1889 in lucem protulit. de **N**, ut inveni ego, Laurentianus 36.5 saec. XIII descriptus est. qui codex a Heinsio adhibitus in eius editione *secundus Mediceus* vocatus est.[2]) continet etiam **N** omnem materiam Lactantianam, manu eiusdem aetatis ac N^1 scriptam; narrationes in marginibus accurate exscriptae sunt. praeterea continet in marginibus maximi momenti imagines saec. XI/XII quae fabulas Ovidianas quodammodo illustrant. **N** vero cum **M** proxime coniunctus est, ut ex versibus omissis, erroribus, multis lectionibus, quas soli **MN** aut β**MN** praebent, manifestum est. **N** cum **U** quoque lectionibus unicis consentit. quam ob rem constat eius parentem (Z^5) iam contaminatum fuisse.

U Vaticanus Urbinas 341, saec. XI exeunte aut XII ineunte duabus manibus Beneventanis (immo Bariensibus) exscriptus, ff. III.184. ff. 1v – 182r continent Met. 1.1 – 15.879 et materiam Lactantianam in textu usque ad finem libri 13 scriptam. contuli. de primo quaternione ff. 1 et 8, de sexto quaternione ff. 42 et 47 amissa sunt. postea f. 2r, iam exterius et saepius tritum, evanidum factum est. ad finem paenultimi quaternionis, sc. post f. 176, folia ultima amissa sunt. quae omnia amissa et evanida saec. XIII manus diversae suppleverunt. manus suppeditantes hae sunt: 1v = 1.1 – 37 sine Lactantio suppl. manus Gothica 1; 2r = 1.38 – 75 sine Lactantio pro litteris Beneventanis evanidis rescripsit manus Gothica 2[3]); 8 = 1.413 – 70 cum narrationibus Lactantianis suppl. manus Beneventana posterior 1; 42 = 4.232 – 83 cum narrationibus suppl., 42r manus Beneventana posterior 2, 42v manus Beneventana posterior 1, ut videtur; 47

1) De manibus librariorum diversis in **N** et duabus partibus f. 189r disputavi in Illinois Classical Studies 2 (1977) 257 sqq.

2) De Laurentiano 36.5 et eius utilitate disputavi item in Illinois Classical Studies 2 (1977) 261 sqq.

3) Manus illae Gothicae numquam Lactantium in **U** addunt. itaque cum versus 1.1 – 75 supplevissent, folio 1r vacuo a f. 1v inceperunt. U^1 autem, ut mihi videtur, a f. 1r inceperat, ut et Lactantium et versus 1 – 75 in textu satis includeret.

= 4.543–603 cum narrationibus Lactantianis suppl. eadem manus Beneventana posterior 1; 177 = 15.494–564 sine Lactantio suppl. manus Gothica 3; 178–182 = 15.565–879 sine Lactantio manus Gothica 1. tamen, quoniam omnes quinque scribae paene eodem tempore laboravisse videntur pro domino qui codicem tum possidebat, eorum opera diversa uno nomine U^3 voco. U^2, manus Beneventana saec. XII exeuntis, plerumque eradendo et rescribendo, hic illic lectiones primas mutavit. U^4 manus varias saec. XIV et XV voco, quae lectiones et glossemata inter lineas et in marginibus addiderunt. primus U usus est Heinsius, qui eum Urbini quibusdam annis ante contulit quam ad bibliothecam Vaticanam accedit: *Urbinatem veterrimum* nominavit. deinde D. A. Slater per amicum H. M. Bannister ad initium huius saeculi U de novo in lucem protulit. U cum N lectiones notabiles saepe exhibet, quae ante eum repertum in N unicae putabantur. saepius autem cum aliis codicibus sicut E concordat. eius igitur parentem (Z^7) contaminatum esse constat.

E Vaticanus Palatinus lat. 1669, saec. XII ineunte in Gallia exscriptus, ff. 63, 2 col., versuum 48/49. continet Met. 1.1–15.879. Lactantianis caret. magnae autem partes foliorum in libris 2–6 (a muribus corrosae, ut Heinsius putavit) desiderantur. huc accedit quod aliae partes evanidae legi non possunt. hae partes aut desiderantur aut evanidae sunt: 1.535–623; 2.26–70, 164–207, 609–14, 699–709; 3.24–32, 50–81, 358–82, 424–31, 472–81 (rescriptae), 672–81, 722–31; 4.47–54, 65–97, 105–47, 154–97, 311–48, 360–97, 440–48, 506–48, 554–98, 700–93; 5.26–35, 84–180, 283–324, 331–73, 485–517, 525–65, 675–8; 6.1–28, 42–76, 187–220, 234–68, 370–509, 541–605, 6.616–653. contuli. hic codex, usque ad annum 1621 Heidelbergae inbibliotheca Palatina conservatus, anno 1623 ad bibliothecam Vaticanam accessit. quem Romae collatum Heinsius *Palatinum veterrimum* aut *primum Palatinum* nominavit. D. A. Slater eum de novo in lucem protulit. E et U lectiones nonnullas praebent quae prius e codicibus paulo posterioribus, sc. ex Erfordensi Amplon. fol. 1 (e) et Hauniensi Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2008 (h) notae erant. in partibus vero Europae satis inter se remotis exscripti, sc. in Gallia et Italia meridiana, E et U demonstrant quam late codices Ovidiani contaminati iam saec. XI exeunte et XII ineunte dispersi sint.

F Marcianus Florentinus 223, saec. XI exeuntis aut XII ineuntis. ff. 2–56r praebent Met. 1.1–15.879, versus a manu Gothica, ut videtur, exscriptos; ff. 57–71 Tristia continent. Lactantianis caret. ff. 2–3 = 1.1–445, 10–12 = 3.111–4.39, 14–15 = 4.261–701

prius amissa suppeditavit manus saec. XIV/XV (F^2). contuli. qui codex saec. XIX exeunte demum editorum diligentia in lucem extractus est. simul cum **L**, **F** partes medias inter β**MN** et **EU** saepius defendit: et erroribus quidem et bonis lectionibus cum β**MN** concordant, plures autem lectiones varias cum **EU** praebent. e codicibus vetustissimis quos adhibui soli **EF** librum 15.495sqq. (quo desinit U^1) servant.

L Laurentianus 36.12, saec. XI exeunte aut XII ineunte pluribus manibus exscriptus, ff. IV.72.IV. continet Met. 1.1–12.298 hic illic correctos. manus primae in marginibus titulos Lactantianos sine narrationibus scripserunt. posteriores quoque multa levioris momenti addiderunt. ff. 1r et 72v male trita maxima ex parte evanida sunt. contuli. hoc codice primus Heinsius usus est, quem ob antiquitatem et bonas lectiones, quas praebet, *Mediceum primum* nominavit. R. Merkel in editione anni 1861 eum in lucem rettulit. saepius cum **F** concordans, **L** praesertim utilis est in partibus librorum 1, 3, 4 ubi folia prima codicis **F** amissa sunt.

P Parisinus lat. 8001, saec. XII in Gallia exscriptus, ff. 63 (+6 quae post f. 16 inserta Metamorphoseon Allegorias Arnulfi Aureliani praebent), 2 col., 48 versuum. continet Met. 1.1–15.879. et manus librariorum et aetates distingui possunt, ut mihi demonstravit collega doctus C. E. Murgia qui rogatu meo codicem Lutetiae Parisiorum mense Decembri 1974 accurate inspexit. ff. 1–30r, col. 2, lin. 6 (= 1.1–6.590) saec. XII ineunte scripta sunt. post spatium quattuor versuum opus renovatum et ad finem adductum est manibus diversis saec. XII exeuntis. manifeste discordant inter se manus primae et posteriores his tribus rebus: post 6.590 lineae magis compressae sunt; litterae initiales rubrae desinunt; titulus poematos, qui post fines librorum 1–5 *Metamorphoseon* erat, in libris 6sqq. *Metamorphoseos* est. quas res et scribam novum, qui post spatium quoddam medio paene quaternione opus iamdiu relictum suscepit, Murgia optime interpretatur hoc modo: scribae novo quodam exemplari post 6.590 usi sunt. **P** a P^2 multis in locis correctus est. codicem ex imagine phototypica contuli. ex heredibus M. Bernegger eum accepit Heinsius, quem conlatum in editione *Berneggerianum* vocavit. D. A. Slater eum de novo in lucem protulit, sed collatione Heinsiana fretus est. **P** plerumque cum **F** concordat, ut manifeste in libro 15 videtur, ubi **FP** testes magni momenti sunt.

W Vaticanus lat. 5859, anno 1275 in Italia exscriptus, ff. 174. continet Met. 1.1–15.879 et omnem materiam Lactantianam. nar-

rationes in marginibus accurate scriptae sunt. contuli. quamvis recentior sit quam alii codices quos nominavi, **W** multas bonas lectiones servat, quibus eum cum **M** artissime coniunctum esse constat. itaque in libro 7 has lectiones raras cum **M** communes praebet: 67 verebor; 207 Temesea; 248 fudit; 257 passis; 282 cavi—aeni; 308 rogantes; 336 nec—agitatis; 372 Cignius; 426 est ingens; 473 ipsam; 486 quam est haec; 527 quae victa; 554 flammaeque latentis; 616 dicta sub ampl. Aeginae Asopidos isse; 699 aut; 714 cum; 751 haec; 756 quod nos ut cernis; 780 eo; 790 et *om.*; 818 sum; 823 me — amare. alibi, praesertim in libris posterioribus, **W** late contaminatus esse videtur. praeterea lectiones bonas exhibet quae correctoribus aut emendatoribus doctis saec. XII et XIII debentur, e. g. 4.136 tremit, 5.373 quae; et quasdam emendationes nostrorum saeculorum iam saec. XIII praebet: sc. 3.576 quendam, ut Jahn coniecit; 7.737 fide(-i *eras.*), ut coniecit Farnabius; 14.302 a tellure, ut coniecit Heinsius; 14.671 haud audacis, ut coniecit Ellis; 15.311 admotumque, ut coniecit Ehwald; 15.728 iuvenumque senumque, ut coniecit Magnus. simul cum **EFP**, **W** nos ad textum libri 15 constituendum maxime adiuvit.

Quibus octo codicibus auxilio sunt hic illic in aliis libris et praecipue in libro 15 hi:

ϰ (**S**) Fragmentum Hauniense. Hauniensis Bibl. Reg. Ny kgl. S. 56 fol., saec. XII exeunte exscriptus, ff. 8. continet 9.324—10.707 et narrationes Lactantianas in textum introductas (sed seriem titulorum inter libros 9 et 10 non praebet). contuli. hic quaternio pars erat Spirensis (**S**) nunc deperditi, iam saec. XVII mutilati, quem in usum Heinsii Langermann contulit. huius collatione, quae, in Bodl. Auct. 2 R. VI. 23 exstans, Met. 3.506—4.786, 6.439—12.278 continet, Slater usus est. ubicumque ante et post **ϰ** haec collatio testis est, **S** cito.[1]) **ϰ** cum **βMN** proxime coniunctum magis contaminatum est.

a Londinensis Mus. Brit. King's 26, saec. XI in Italia exscriptus, ff. II.138. continet Met. 1.1—15.879. collatione libri 15, quam Housman fecit, usi sunt et Magnus et Slater. libros 14 et 15 et alias partes contuli.

d Laurentianus Acquisti e Doni 434, saec. XII exeunte exscriptus, ff. I.66.I. continet Met. 2.320—13.484, amissis tredecim foliis quae

1) Satis constat Heinsium hunc quaternionem suum fecisse. post eius mortem igitur anno 1682 fragmentum venditum est, tum post 1815 in Bibliothecam Hauniensem venit. vide P. Lehmann, Die mittelalterliche Dombibliothek zu Speyer, SBAW (1934) H. 4, 37—44, 55—59 et passim.

2.761–3.324, 4.31–250, 9.39–259, 700–10.121, 11.265–373, 12.238–453 praebebant. contuli.

e Erfordensis Bibl. Amplon. fol. 1, saec. XII exeunte exscriptus, ff. 58. continet Met. 1.1–15.879 his tribus manibus scriptos: a) 1.1–11.126; b) 11.127–13.437; c) 13.438–15.879. manus a et b paene aequales sunt; manus c, quam e^2 Magnus vocavit, paulo recentior quam a b, 1.1–13.437 correxit. duo autem folia (1.608–2.227) amissa sunt. contuli. quem codicem primus Heinsius conferens *Erfordianum collegii Portae Caeli* nominavit. ab editoribus quibusdam maximi pretii aestimatus, e paucas lectiones „novas" exhibet quae non reperiuntur in codicibus vetustioribus E U.

h Hauniensis Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2008, saec. XII exeunte aut XIII ineunte exscriptus, ff. 156. continet Met. 1.1–15.879. quem primus Hamburgi in usum Heinsii Langermann contulit; nam codex erat ibi Ecclesiae Cathedralis. et Magnus et Slater eo usi sunt. collationem quam Magnus praebet ad meum usum adhibui.

o Vaticanus Ottobonianus lat. 3313, codex Vergilianus saec. X exscriptus, ad quem nescioquis saec. XII columnam alteram addidit quae Metamorphoses daret. primum continebat ff. 9v–63v (parte superiore) Met. 1.1–7.865; et 63v (parte inferiore)–69r, manu altera scriptos, versus 6.150–??. postea pars exterior foliorum 61–62 abscissa est; in ff. 63v, 64v, 65v–69r columna Ovidiana paene tota erasa est. itaque o nunc praebet prima manu scriptos versus 1.1–7.580, initia 581–631 (61r), verba ultima 632sqq. (61v), 790–836 (63r), vestigia 837–50 (63v); altera manu scriptos versus 6.150sqq. (63v, parte inferiore, paene omnes erasos), 167–209 (64r), 255–99 (65r). contuli.

p Heidelbergensis Bibl. Univ. Palatinus lat. 1661, saec. XII exeunte aut XIII ineunte exscriptus, ff. 116 (olim 123). quem codicem librarii diversi confecerunt, ut formae litterarum variae et numeri versuum qui exstant in quaternionibus contiguis demonstrant. continet Met. 1.1–15.631. quaternio autem quartus ante saec. XVII quodammodo exsolutus quattuor folia amisit; tum inscite compositus de novo in codicem insutus est. quae prius erant ff. 25 et 32, 27 et 30 (=3.600–98; 4.63–158, 362–464, 567–668) perierunt. quae nunc sunt ff. 25–28 hoc ordine hos versus continent: 4.159–258; 3.699–4.62; 4.465–566; 4.259–361.[1]) qui prius quintus quaternio erat nunc ab f. 29 incipit.

1) Manifestum igitur est redintegratorem illum inscitum locos foliorum 25/28 et 26/27 inter se commutavisse.

ultima folia post ultimum quaternionem integrum perierunt, qui tum in f. 120, nunc in f. 116 terminatus est. Heidelberga anno 1623 Romam transportatus, deinde Heidelbergam anno 1816 redditus est. qui dum Romae est, ab Heinsio conlatus, *secundus Palatinus* est vocatus. contuli.

r Vaticanus lat. 11457, saec. XII exscriptus, ff. 135. continet Met. 1.1 – 15.879. libros 7, 15, alias partes contuli.

s_1 Laurentianus Strozzianus 121, saec. XII ineunte exscriptus, ff. 138. continet Met. 1.1 – 15.879, folio uno amisso quod 10.701 – 11.49 prius habebat. eum primus Heinsius contulit. libros 7, 15 contuli.

s_2 Laurentianus Strozzianus 120, saec. XII exeunte exscriptus, ff. 149. continet Met. 1.1 – 15.879. quem primus Heinsius contulit. libros 1, 6, 15 contuli.

t Fragmentum Tegernseense. Monacensis Clm. 29007, saec. XII in Germania exscriptus. continet 1.135 – 89, 295 – 350, 524 – 88; 2.68 – 130; 4.160 – 220, 482 – 543; 6.574 – 700; 8.179 – 234, 632 – 87; 9.754 – 97; 10.1 – 384; 11.670 – 795; 12.1 – 2, 68 – 162, 325 – 86; 13.1 – 126, 191 – 318, 383 – 832, 897 – 968; 14.1 – 54, 183 – 246, 375 – 438, 567 – 630, 696 – 761; 15.231 – 363, 430 – 91, 621 – 748. quo fragmento primus Magnus usus est. Bruère praeeunte Smith ex partibus libri 1, quam t simul cum ε praebet, affirmavit t et ε fratres esse. quod mihi dubium videtur. (vide et p.XXIII.)

v Vaticanus lat. 1593, saec. XII exscriptus, ff. IV. 148. continet Met. 1.1 – 15.879, amissis ex quaternione undecimo duobus foliis (prius 82 et 87), quae 8.822 – 9.11 et 9.327 – 403 praebebant. manus novae a ff. 111 et 119 manifeste incipiunt. codice primus usus est Heinsius, qui *primum Vaticanum* nominavit. contuli.

Praeter quos codices raro adhibui hos:

Barb. Vaticanus Barberinianus lat. 70, saec. XIII exscriptus, ff. XVI. 148. continet Met. 1.1 – 15.879. quo codice etiam Heinsius usus est.

Bodl. F.4.30 Oxoniensis Bodl. Auct. F.4.30, saec. XII ineunte exscriptus. continet Met. 3.75 – 15.879, amissis his: 7.604 – 8.62; 8.279 – 9.578; 15.8 – 117, 222 – 329, 765 – 872. quem conferens Heinsius *Fragmentum Boxhornianum* nominavit.

c Fragmentum Caesenas aetatis incertae, quod Met. 9.235 – 11.169; 13.1 – 403 continebat. collatione Heinsii et eius siglo c, quae in Bodl. Auct. S.V.5 exstant, Slater usus est.

Chis. H.V. 167 Vaticanus Chisianus H.V. 167, saec. XIII exscriptus, ff. 144. continet Met. 1.1–15.879 et narrationes Lactantianas in marginibus librorum 1–4 altera manu scriptas.

Guelf. 4427 Guelferbytanus Bibl. Duc. 4427, saec. XIV exscriptus, ff. 207. continet Met. 1.1–15.879. quem *codicem B. Rottendorpii* Heinsius vocavit.

Laur. 36.10 Laurentianus 36.10, saec. XIII exscriptus, ff. 129. continet Met. 1.1–15.879. ff. 1–8 (1.1–2.61) et 129 (15.798–879) prius amissa saeculo XV suppleta sunt. in editione Heinsius hunc codicem *tertium Mediceum* vocavit.

Leid. Voss. O.51 Leidensis Vossianus lat. O.51, saec. XII exscriptus, ff. 149. continet Met. 1.1–15.879, amisso uno folio quod 1.643–722 praebebat. quem *codicem Arondelianum* Heinsius vocavit.

Pal. 1664 Vaticanus Palatinus lat. 1664, saec. XIII exscriptus, ff. ab. 186. continet Met. 1.1–15.879. quem *tertium Palatinum* Heinsius vocavit.

Pal. 1667 Vaticanus Palatinus lat. 1667, saec. XIII ineunte exscriptus, ff. 154. continet Met. 1.1–15.879. quem *quartum Palatinum* Heinsius vocavit.

Pal. 1670 Vaticanus Palatinus lat. 1670, circa annum 1400 exscriptus, ff. 172. continet Met. 1.1–15.879. quem *quintum Palatinum* Heinsius vocavit.

Paris. 8000 Parisinus lat. 8000, saec. XII exeunte aut XIII ineunte exscriptus, ff. 151. continet Met. 1.1–15.879. quem *primum Regium* Heinsius nominavit.

Plan. Versio Graeca, e codice Latino nunc deperdito circa annum 1300 a Maximo Planude confecta. nobis praecipue in nominibus Graecis reconstituendis auxilio est.

Vallicell. F. 25 Romanus Bibl. Vallicell. F. 25, codex miscellaneus, cuius ff. 117–134, saec. XIV exscripta, circa 1690 versus ex libris 2, 3, 4, 5, 8, 11, 12, 14 continent. folia 18, a codice exsoluta, nullo ordine recomposita sunt. hoc fragmentum esse demonstravi id quod Heinsius in editione aut *excerpta* aut *schedas* aut *fragmentum Theatinorum Romae* vocavit, et prius in collatione, quam Bodl. Auct. S.V.8 praebet, „fragmentum apud patres oratorios Romae ... ex variis Met. libris" descripsit.[1])

1) De hoc fragmento disputavi in CQ 26 (1976) 113–114.

Vat. 1479 Vaticanus lat. 1479, saec. XIII exeunte aut XIV ineunte in Gallia exscriptus. continet ff. 53v–181v Met. 1.1–15.879.

Vat. 3266 Vaticanus lat. 3266, saec. XIII ineunte exscriptus, ff. 134. continet Met. 1.1–15.879.

Vat. 5179 Vaticanus lat. 5179, saec. XIII ineunte exscriptus, ff. 133. continet Met. 1.1–15.879. quem Heinsius *secundum Vaticanum* vocavit.

Vat. 8519 Vaticanus lat. 8519, saec. XIII exscriptus, ff. 140. ff.3–139 continet Met. 1.1–15.879.

Primae editiones Bononiae et Romae anno 1471 impressae nullo modo textus criticos exhibent, sed editio Romana codice satis bono nisa erat. Bonus Accursius autem, cuius editio anno 1475 Mediolani in lucem venit, primus emendationes fecit defenditque, primus item narrationes Lactantianas praebuit. paulo post eum floruit editor maioris etiam auctoritatis, Raphael Regius, cuius textus cum commentario Venetiis anno 1493 impressus est.[1]) tum saec. XVI ad Accursii et Regii labores accesserunt emendationes quas Naugerius, Constantius Fanensis, Hercules Ciofanus, Muretus, alii fecerunt. primus autem Metamorphoseon codices vetustos, qui multis in Europae partibus latebant, Nicolaus Heinsius investigavit. nam legatus doctissimus et Hollandiae et reginae Christinae Sueciae inter annos 1640 et 1652 maxima cum diligentia plus quam centum codices ipse contulit. cuius editio, quae anno 1652 primum impressa, postea saepius emissa est, apparatum criticum valde laudabilem, immo inimitabilem exhibet, quippe qui, labor unius docti, et codicum multorum lectiones distinguit et emendationes elegantes praebet, tanto acumine ut editores posteriores Heinsium numquam aequarent. Heinsius enim primus **ELMNPU** contulit, et hos et alios codices tam acriter aestimavit, ut doctis saec. XIX et praesertim XX officium gravissimum institueret, ut „codices Heinsianos" investigarent, reperirent, de novo in editiones adhiberent.

Post Heinsium nullus editor paene per centum octoginta annos ex codicibus novum attulit. sola autem editio, quam Amstelodami anno 1727 P. Burmann emisit, saeculum XVIII decoravit. nam Burmann tum emendationes optimas priorum, sc. Naugerii, Const. Fanensis, Ciofani, Heinsii, contraxit, tum aliquas novas ipse obtulit. deinde

1) De primis Metamorphoseon libris impressis vide G. Steiner, TAPA 82 (1951) 219–31, 83 (1952) 312–18.

saeculo XIX codices hic illic accurate conlati, fragmenta antiquissima reperta, nova ratio codicum aestimandorum et stemmatis faciendi magno auxilio fuerunt. J. Chr. Jahn Lipsiae anno 1832 editionem emisit quae apparatum criticum paene hodiernum praebebat. nam lectionibus e codicibus Heinsianis, praeterea e codicibus Germanicis (e. g. ex Heidelbergensi Palatino lat. 1661 quem, quamquam Heinsianum *Palatinum secundum* credebat, *Myrtiletanum* vocavit) usus, Jahn novum aevum maximae industriae inauguravit. quo docti Germanici praecipue notandi sunt. R. Merkel enim in editione Teubneriana anni 1861 L et M de novo in lucem protulit, collatione nisus quam H. Keil fecit. tum A. Riese pro editione Tauchnitziana quam anno 1889 emisit N de novo contulit. iisdem annis etiam (ab 1850 ad 1891) sex fragmenta antiquissima *α β ε λ π υ* in lucem prolata, collata, summo studio ponderata, in novas editiones irrepserunt.

Quae dum fiunt, is qui in Germania editor Metamorphoseon maximi momenti futurus esset iam studia tractabat, quae anno 1914 editionem diu exspectatam generarent. nam cum Hugo Magnus in codicibus conferendis, aestimandis, ad affinitates attribuendis labores Herculeos, ut ita dicam, sustinuisset et apparatum criticum exquisite elaboravisset, finem investigationis cum diligentis tum deludentis fecit, qua docti totum per saeculum XIX unum codicem aut duos solos „optimos" quaerebant quibus editores secure nisi, aliis ut „deterioribus" contemptis, textum Ovidianum facile constituturi essent. sed ante annum 1914 ratio ista simplex textus constituendi in dubium incertumque iam revocabatur ab Housman, qui editionem Iuvenalis, cuius traditio, sicut Ovidii, aetate inferior, multiplex, contaminata est, anno 1905 emisit. ei igitur qui de editione Metamorphoseon post 1914 sententias dederunt Magnum severius iudicaverunt, quod codicibus M et N nimis nisus esset, quod fragmenta veterrima prave aestimavisset, quod codices „deteriores" sine prudentia maxima, ut necessarium erat, cum nominavisset tum adhibuisset, denique quod divitiis collationum lectionumque iam diu ab Heinsio accumulatis non satis accurate usus esset. editores quidem posteriores diligentiam quam Magnus tot per annos exercebat recte admirati, tamen ab fiducia credula quam ille de codicibus MN solis habuit sensim se liberaverunt. tamen R. Ehwald excipio, qui, cum editionem Teubnerianam anno 1915 emitteret, commentarium criticum, ut dicebat ipse, ex Hugonis Magni apparatu maximam partem transumpsit. cui Teubnerianae hanc meam editionem digne successuram esse spero.

D. A. Slater Britannus et E. K. Rand Americanus (cum discipulis Smith, Bruère, Otis) iis praeierunt qui viam aliam textus constituendi

exploraverunt. nam ille primus collationibus Heinsii usus est quas Bibliotheca Bodleiana possidet; per quas codices EPU reperit. studiis Ovidianis iam anno 1914 longe progressus Slater non poterat ante annum 1927 inventa in lucem proferre. quamquam ei solum praefationem et apparatum criticum emittere licebat, doctus ille satis demonstravit traditionem Metamorphoseon iam ante saec. XII implicatam fuisse, et ideo rationem eclecticam textus constituendi sibi recte usurpavit. tamen saepe timidior erat quam ut MN desereret, etsi satis liquebat „deteriores" meliorem lectionem praebere; saepe etiam emendationes Heinsianas nimis fervide recipiebat. Rand autem et eius discipuli stemma designare conati sunt, cuius pars melior familia βMN (e Z^3 et Z^5 prognata) est, ad quos post Slater iam U (e Z^7 prognatus) addendus est; cuius pars alia, et aequalis et saepius fidelior, est familia e Z^4 prognata, quae codices „deteriores", ut prave vocabantur, generavit. de quo stemmate supra breviter disputavi. non praetereundus est Lafaye, qui eodem anno 1927 editionem Budé protulit et, quamvis minus audacter quam Slater, viam alteram ac Magnus et Ehwald exploravit. post studia quidem Heinsiana, quae Slater incohabat, Lenz, Munari, Boese, recentissime Reeve longe profecti sunt. denique Munari, qui catalogum utilissimum circa quadringentorum codicum Metamorphoseon fecit; Lenz, qui Prolegomena to a Revision of Hugo Magnus' Edition (Turici 1967) emisit; F. Bömer, qui commentarium praeclarissimum ad libros 1–3 Heidelbergae 1969, ad libros 4–7 Heidelbergae 1976–77 laboriosissime scripsit, maximo auxilio editoribus Metamorphoseon posterioribus sunt. quantum debeam doctis qui per quingentos annos tam varie, tam ingeniose laboraverunt, ut Metamorphoseon textum accurate constituerent, non possum satis dicere. tamen confiteor me ea quae Heinsius, Magnus, Slater optime fecerunt praecipue admirari.

De testimoniis nunc pauca dicam. optime meritus est Hugo Magnus, qui complura testimonia iam abhinc sexaginta annis congessit. mihi autem consilium est plures testes ante saec. XII in lucem proferre, quo aetas Ovidiana, ut bene notum est, maxime floruit. quoniam codices Metamorphoseon integri post annum 1050 nobis praesto sunt et plus minus quinque et viginti iam ante finem saeculi XII exscripti superstites sunt, alios testes posteriores neglexi. itaque hic abest vir magnae sapientiae Vincentius Bellovacensis, qui multos Metamorphoseon versus in capitula 6. 116 et 117 Speciminis Historialis circa annum 1250 comportavit; item abest vir doctus Conradus de Mure, qui fere eodem tempore Ovidii versus persaepe cita-

vit. testimonia ergo a Seneca rhetore incipiunt et ad annum 1200 extenduntur.

Restat ut gratias agam cum praefectis bibliothecarum Heidelbergensis Laurentianae Londinensis Neapolitanae Parisinae Vaticanae tum iis quorum ego benevolentiam in hoc opere conficiendo expertus sum. nam hospitium mihi gratissimum per decem menses praebebat Academia Americana quae Romae est, ut codices Italicos, praesertim Vaticanos, investigare possem. collegis quoque doctissimis, C. E. Murgia et R. H. Rodgers, praecipue gratias ago: uterque enim mihi et in hac praefatione et alibi maximo auxilio fuit. laboribus peritis redactoris ingeniosissimi G. Chr. Hansen hoc opus meum multis, si non omnibus, mendis liberatum est.

Anno 1976, postquam haec praefatio iam scripta est, per virum doctissimum B. Bischoff mihi in notitiam pervenit bifolium nuper inventum codicis Tegernseensis (t), quod versus 1. 524 – 588 integros, 2. 68 – 130 mutilos praebet. quos diligenter conferenti mihi persuasum est codicem t e codice ε derivatum, non fratrem eius esse.

Dum haec editio sub prelo est, de his operibus certior factus sum:

Acta conventus omnium gentium Ovidianis studiis fovendis. Tomis a die XXV ad diem XXXI mensis Augusti MCMLXXII habiti, Bukarest 1976;

Haege, H., Terminologie und Typologie des Verwandlungsvorgangs in den Metamorphosen Ovids, Göppingen 1976 (= Göppinger Akad. Beiträge 99).

PRAEFATIO ALTERIVS EDITIONIS

Triennio peracto iam altera editio desideratur. cum primae editionis recensiones nondum mihi notae sint, mendis erroribusque, quo ipse cognovi, sublatis, restat ut quosdam novos libros afferam: W. S. Anderson, On the Tegernsee ms. of Ovid's Metamorphoses (Munich Clm 29007), CSCA 11 (1978) 1–19; J. Blänsdorf, Entstehung und Kontamination der Doppelfassung Ovid, Metam. I, 544–547a, RM 123 (1980) 138–151; H. Hofmann, Ovids 'Metamorphosen' in der Forschung der letzten 30 Jahre (1950–1979), ANRW 31 (1981) 2161–2273.

Dabam Romae III Kal. Oct. a. MCMLXXXI W. S. Anderson

CONSPECTVS EDITIONVM

Puteolanus, Bononiae 1471
Andreas, Romae 1471
Federicus de Comitibus, Venetiae 1472
Calphurnius, Venetiae 1474
Bonus Accursius, Mediolani 1475
Raphael Regius, Venetiae 1493
Andreas Naugerius, editio Aldina, Venetiae 1517
Daniel Heinsius, Lugduni Batavorum 1629
Nicolaus Heinsius, Amstelodami 1652
Petrus Burmannus, Amstelodami 1727
G. E. Gierig, Leipzig 1784–87, 1804[2]
D. C. G. Baumgarten-Crusius, Leipzig 1824
J. Chr. Jahn, Leipzig 1832
V. Loers, Leipzig 1843
G. A. Koch, Leipzig 1851
R. Merkel, editio Teubneriana, Leipzig 1861
M. Haupt et O. Korn, Berlin 1876
A. Riese, editio Tauchnitziana, Leipzig 1889
Haupt–Korn–Ehwald, Berlin 1898, 1915
Hugo Magnus, Berlin 1914
R. Ehwald, editio Teubneriana, Leipzig 1915
P. Fabbri, editio Paraviana, Torino 1918–21, 1934[2]
D. A. Slater, Oxford 1927
G. Lafaye, Paris 1928–30
D. E. Bosselaar, Leiden 1951
A. G. Lee, Liber 1, Textus et Commentarius, Cambridge 1953
Haupt–Korn–Ehwald–von Albrecht, Zürich 1966
F. Bömer, Libri 1–7, Commentarius, Heidelberg 1969–1977
A. S. Hollis, Liber 8, Textus et commentarius, Oxford 1970
G. M. H. Murphy, Liber 11, Textus et commentarius, Oxford 1972
W. S. Anderson, Libri 6–10, Textus et commentarius, Univ. Oklahoma 1972

CONSPECTVS LIBRORVM

I BIBLIOGRAPHIA OVIDIANA

Lenz, F. W., Ovid (1928–37), JAW 264 (1939) 1–168
von Albrecht, M., Bibliographie seit 1914, P. Ovidius Naso, Metamorphosen, ed. Haupt–Korn–Ehwald–von Albrecht (Zürich 1966) vol. I, 457–93
Gariepy, R. J., Recent Scholarship on Ovid (1958–68), CW 64 (1970) 37–56
von Albrecht, M., Forschungsbericht zu Ovid, AAHG 25 (1972) 267–90

II DE CODICIBVS ET PRIMIS LIBRIS IMPRESSIS

Anderson, W. S., Identification of Another Heinsian Manuscript, CQ 26 (1976) 113–114
–, A New Pseudo-Ovidian Passage, CSCA 7 (1976) 7–16
–, Studies on the Naples Ms. IV F 3 of Ovid's Metamorphoses, Illinois Cl. Stud. 2 (1977) 255–288
Boese, H., Zu den Ovidkollationen des N. Heinsius, Philol. 106 (1962) 155–73
Bruère, R. T., The Ms. Tradition of Ovid's Metamorphoses, HSCP 50 (1939) 95–122
Cavallo, G., La trasmissione dei testi nell'area beneventano-cassinese, Settimane Centro ital. di studi sull'alto medioevo 22 (1974) 357–424
Lenz, F. W., Die Wiedergewinnung der von Heinsius benützten Ovidhandschriften in den letzten 50 Jahren, Eranos 51 (1953) 66–88
–, Die Wiedergewinnung der von Heinsius benützten Ovidhandschriften II, Eranos 61 (1963) 98–120
–, Ovid's Metamorphoses. Prolegomena to a Revision of Hugo Magnus' Edition, Zürich 1967
Luck, G., Untersuchungen zur Textgeschichte Ovids, (Heidelberg 1969, 54–76
Magnus, H., Neue Bruchstücke einer Ovidhandschrift, Philol. 79 (1924) 159–87
Munari, F., Catalogue of the Manuscripts of Ovid's Metamorphoses, BICS Suppl. 4 (1957)
–, Supplemento I, RF 93 (1965) 288–97
–, Supplemento II, Studia Florentina A. Ronconi oblata (Roma 1970) 275–80
–, Codici inglesi delle Metamorfosi, Philol. 100 (1956) 312–15
–, Manoscritti Ovidiani di N. Heinsius, SIFC 29 (1957) 98–114, 265
–, Identificazioni di codici Heinsiani delle Metamorfosi, Ovidiana (Paris 1958) 347–49
Otis, B., The *Argumenta* of the so-called Lactantius, HSCP 47 (1936) 131–63
Paschoud, E., Un manuscrit des Métamorphoses d'Ovide à la Bibliothèque cantonale et universitaire de Lausanne, EL 5 (1962) 37–46
Rand, E. K., The New Critical Edition of Ovid's Métamorphoses, CP 11 (1916) 46–60

Reeve, M. D., Heinsius' Manuscripts of Ovid, RhM 117 (1974) 133–66
Reeve, M. D., Heinsius' Manuscripts of Ovid: A supplement, RhM 119 (1976) 65–78
Smith, W. F., De Ovidii Metamorphoseon aliquot codicibus recensendis, HSCP 36 (1925) 183–4
Steiner, G., Source-Editions of Ovid's Metamorphoses (1471–1500), TAPA 82 (1951) 219–31
–, The Textual Tradition of the Ovidian Incunabula, TAPA 83 (1952) 312–18
Ullman, B. L., Classical Authors in Certain Medieval Florilegia, CP 27 (1932) 11–16

III DE LECTIONIBVS DVPLICIBVS ET DE OVIDIO POETA

von Albrecht, M., Zum Metamorphosenprooem Ovids, RhM 104 (1961) 269–7
–, Die Parenthese in Ovids Metamorphosen und ihre dichterische Funktion Spudasmata 7, Hildesheim 1964
–, et Zinn, E., Ovid, Wege d. Forschung, Band 92, Darmstadt 1968
Anderson, W. S., Multiple Change in the Metamorphoses, TAPA 94 (1963) 1–27
–, Talaria and Ovid Met. 10.591, TAPA 97 (1966) 1–13
Bernbeck, E. J., Beobachtungen zur Darstellungsart in Ovids Metamorphosen, Zetemata 43, München 1967
Boillat, M., Les Métamorphoses d'Ovide, Bern/Frankfurt 1976
Bömer, F., Ovid und die Sprache Vergils, Gymnasium 66 (1959) 268–88
Cunningham, M. P., Who Wrote Ovid Met. I. 547–547a [Magnus]?, CP 55 (1960) 38–39
Della Corte, F., Il secondo verso delle Metamorfosi, Studia Florentina A. Ronconi oblata (Roma 1970), 93–96
Doblhofer, E., Ovidius urbanus: eine Studie zum Humor in Ovids Metamorphosen, Philol. 104 (1960) 63–91, 223–35
Döpp, S., Virgilischer Einfluß im Werk Ovids, Diss. München 1968
Due, O. S., Changing Forms. Studies in the Metamorphoses of Ovid, Classica et Med. Diss. 10, Copenhagen 1974
Dursteler, K., Die Doppelfassungen in Ovids Metamorphosen, Hamburger Arbeiten z. Altertumsw. 2, 1940
D'Elia, S., Ovidio, Napoli 1959
Enk, P. J., Metamorphoses Ovidii duplici recensione servatae sint necne quaeritur, Ovidiana (Paris 1958), 324–46
Frécaut, J. M., Une figure de style chère à Ovide, le zeugma ou attelage, Latomus 28 (1969) 28–41
–, L'esprit et l'humour chez Ovide, Grenoble 1972
Galinsky, G. K., Ovid's Metamorphoses. An Introduction to the Basic Aspects, Berkeley 1975
Helm, R., De Metamorphoseon Ovidianarum locis duplici recensione servatis, Festschrift J. Vahlen (Berlin 1900), 335–65
Jacobson, M., A Note on Ovid Met. VI, 115–116, AJP 93 (1972) 459–61
Kenney, E. J., The Style of the Metamorphoses, Ovid, ed. J. W. Binns (London 1973), 116–53
Lamacchia, R., Varianti d'autore nelle Metamorfosi di Ovidio?, RAL 11 (1956) 379–422

—, Ovidio interprete di Virgilio, Maia 12 (1960) 310–30
—, Precisazioni su alcuni aspetti dell'epica Ovidiana, A & R 14 (1969) 42–60
Ludwig, W., Struktur und Einheit der Metamorphosen Ovids, Berlin 1965
Magnus, H., Ovids Metamorphosen in doppelter Fassung?, Hermes 40 (1905) 191–239; Hermes 60 (1925) 113–43
Marahrens, I., Angefochtene Verse und Versgruppen in den Metamorphosen, Diss. Heidelberg 1971
Mendner, S., Der Text der Metamorphosen Ovids, Diss. Köln 1939
Merkelbach, R., Ovid Metamorphosen VI, 280–283, Festschrift B. Snell (München 1956), 223–26
Otis, B., Ovid as an Epic Poet, Cambridge 1966, 1970[2]
Ott, W., Metrische Analysen zu Ovid Metamorphosen Buch I, Tübingen 1974
Tränkle, H., Elegisches in Ovids Metamorphosen, Hermes 91 (1963) 459–76
Viarre, S., L'image et la pensée dans les Métamorphoses d'Ovide, Paris 1964

IV DE IMITATIONIBVS ET DE OVIDIO IN MEDIO AEVO

Alton, E. H., Ovid in the Mediaeval Schoolroom, Hermathena 94 (1960) 21–38; 95 (1961) 67–82
Battaglia, S., La tradizione di Ovidio nel medioevo, Filologia Romanza 6 (1959) 185–224
Brewer, W., Ovid's Metamorphoses in European Culture, Boston 1933
Dapunt, A., Der Elegiker Maximianus und sein Verhältnis zu seinen Vorgängern, besonders Ovid, Diss. Innsbruck 1949
Munari, F., Ovid im Mittelalter, Zürich 1960
Phillips, O. C., The Influence of Ovid on Lucan's Bellum Civile, Diss. Univ. Chicago 1962
Rand, E. K., Ovid and his Influence, Boston 1925
Siedschlag, E., Ovidisches bei Martial, RFIC 100 (1972) 156–61
Stackmann, K., Ovid im deutschen Mittelalter, Arcadia 1 (1966) 231–54
Thomas, E., Some Reminiscences of Ovid in Latin Literature, Atti convegno Ovidiano (Sulmona 1958), 145–71
—, Ovidian Echoes in Juvenal, Ovidiana (Paris 1958), 505–25
—, Some Aspects of Ovidian Influence on Juvenal, Orpheus 7 (1960) 35–44
Stroh, W., Ovid im Urteil der Nachwelt. Eine Testimoniensammlung, Darmstadt 1969; praesertim Ovids Nachleben (1935–1969), 131–46
Wilkinson, L. P., The Middle Ages: Venus' Clerk Ovyde, Ovid Recalled (Cambridge 1955), 366–98
Viarre, S., La survie d'Ovide dans la littérature scientifique des XIIe et XIIIe siècles, Poitiers 1966

CONSPECTVS SIGLORVM

A consensus librorum manu scriptorum omnium praeter eos qui nominantur

I CODICES QVI SEMPER CITANTVR

E Vaticanus Palatinus lat. 1669, saec. XII in. (multa ex libris 2–6 desiderantur)

F Marcianus Florentinus 223, saec. XI/XII (F^2 septem folia saec. XIV/XV supplevit)

L Laurentianus 36.12, saec. XI/XII (1.1 – 12.298) [Ehwald hunc λ, Magnus et Lafaye l nominaverunt]

M Marcianus Florentinus 225, saec. XI ex. (1.1 – 14.830)

N Neapolitanus Bibl. Naz. IV. F. 3, saec. XI/XII (1.1 – 14.851. N^2 = correcturae saec. XII ex.; N^3 = correcturae saec. XIII; N^4 = correcturae saec. XIV et XV; **n** = librarii qui librum 15 confecerunt)

P Parisinus lat. 8001, saec. XII (P^2 = correcturae manus paulo recentioris; P^3 = correcturae saec. XIII/XIV)

S Spirensis nunc maximam partem deperditus, saec. XII ex. (Langermann in usum Heinsii 3.506 – 4.786 et 6.439 – 12.278 contulit. quaternio ex Spirensi separatus ϰ (= Fragmentum Hauniense S. 56) solus nunc exstat; praebet 9.324 – 10.707

U Vaticanus Urbinas 341, saec. XI/XII (U^2 = correcturae saec. XII ex.; U^3 = correcturae et redintegrationes librorum 1, 4, 15 saec. XIII; U^4 = correcturae saec. XIV et XV)

W Vaticanus lat. 5859, anno 1275 exscriptus (W^2 = correcturae manus paulo recentioris; W^3 = correcturae saec. XIV; W^4 = correcturae saec. XV)

II FRAGMENTA

α Bernense Bibl. Civ. 363, saec. IX ex. (1.1 – 199, 304 – 309, 773 – 779, 2.1 – 22, 3.1 – 56) [Ehwald hunc **b** nominavit]

β Londinense Mus. Brit. Add. 11967, saec. X (2.833 – 3.510, 4.292 – 5.389, 5.588 – 6.411) [Ehwald hunc **B** nominavit]

ε Londinense Mus. Brit. Harleianum 2610, saec. X ex. (1.1 – 3.622) [Ehwald hunc **A** nominavit]

λ Lipsiense Bibl. Civ. 48, saec. IX ex. (3.131 – 252)

π Parisinum lat. 12246, saec. IX ex. (1.81 – 193, 2.67 – 254)

υ Vaticanum Urbinas 342, saec. X (5.483 – 6.45, 7.731 – 8.104)

c Caesenas, aetatis incertae (contulit Heinsius. 9.235 – 11.169, 13.1 – 403)

III CODICES QVI AVXILIO SVNT

a Londinensis Mus. Brit. King's 26, saec. XI [Magnus hunc **x** nominavit]

d Laurentianus Acquisti e Doni 434, saec. XII (2.320 – 13.484)

e Erfordensis Bibl. Ampl. fol. 1, saec. XII ex. [Ehwald hunc ε nominavit]

h Hauniensis S. 2008, saec. XII/XIII

o Vaticanus Ottobonianus lat. 3313, altera columna in codice Vergiliano saec. XII addita (1.1 – 7.865)

p Heidelbergensis Palatinus 1661, saec. XII/XIII (1.1 – 15.631)

r Vaticanus lat. 11457, saec. XII

s_1 Laurentianus Strozzianus 121, saec. XII in.

s_2 Laurentianus Strozzianus 120, saec. XII ex.

t Tegernseensis mutilatus (Monacensis Clm. 29007), saec. XII [Magnus hunc τ nominavit]

v Vaticanus lat. 1593, saec. XII

Plan. versio Graeca circa 1300 a Maximo Planude confecta

P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER PRIMVS

In nova fert animus mutatas dicere formas
corpora: di, coeptis (nam vos mutastis et illa)
adspirate meis primaque ab origine mundi
ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

5 Ante mare et terras et, quod tegit omnia, caelum
unus erat toto naturae vultus in orbe,
quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles
nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem
non bene iunctarum discordia semina rerum.
10 nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,
nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,
nec circumfuso pendebat in aëre tellus
ponderibus librata suis, nec bracchia longo
margine terrarum porrexerat Amphitrite,
15 utque erat et tellus illic et pontus et aër,
sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
lucis egens aër: nulli sua forma manebat,
obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno
frigida pugnabant calidis, umentia siccis,
20 mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

5–25 *hunc locum respexit Lactantius Div. Inst. 2.8.8, Zeno Veronensis Tractatus 1.7* || 11, 19, 25 *hos versus imitatur Ecbasis Captivi 722–4* || 13–14 (bracchia ... margine) *Charisius Ars Gramm. 1 (Keil I 65)* || 15 (quaeque fugit tellus ... aer) *Porfyrio ad Horatium c. 3.4.29* || 19–20 (frigida ... pondus) *Isidorus Orig. 1.36.21; locum etiam imitatur Orientius Commonitorium 1.603*

[1–75 αε **ELMNPU³W**] 2 concoeptis α | vos] di αε**EP³** | illa **e²***Lejay* illas **A** || 8 *om.* α || 14 amphitrite **U³** amphitrites **A** || 15 utque α**h** utqua ε**ELU³** at qua **W** quaque **F²M** (*in ras.*) **PW** (*in marg.*) atque **N** | erat et tellus] erat tellus α ubi erat tellus **N** | aer α**LWeh** aether ε**A** || 18 corpora in unum **e**

Hanc deus et melior litem natura diremit;
nam caelo terras et terris abscidit undas
et liquidum spisso secrevit ab aëre caelum;
quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,
25 dissociata locis concordi pace ligavit.
ignea convexi vis et sine pondere caeli
emicuit summaque locum sibi fecit in arce;
proximus est aër illi levitate locoque,
densior his tellus elementaque grandia traxit
30 et pressa est gravitate sua; circumfluus umor
ultima possedit solidumque coercuit orbem.
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
congeriem secuit sectamque in membra redegit,
principio terram, ne non aequalis ab omni
35 parte foret, magni speciem glomeravit in orbis;
tum freta diffudit rapidisque tumescere ventis
iussit et ambitae circumdare litora terrae.
addidit et fontes et stagna inmensa lacusque
fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
40 quae diversa locis partim sorbentur ab ipsa,
in mare perveniunt partim campoque recepta
liberioris aquae pro ripis litora pulsant.
iussit et extendi campos, subsidere valles,
fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes;
45 utque duae dextra caelum totidemque sinistra
parte secant zonae, quinta est ardentior illis,
sic onus inclusum numero distinxit eodem
cura dei, totidemque plagae tellure premuntur.
quarum quae media est, non est habitabilis aestu;
50 nix tegit alta duas: totidem inter utrumque locavit
temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.

22 (nam caelo ... undas) *Mico Exempla Div. Auct. 151* || 37 (iussit ... terrae) *Priscianus 10.56 et 11.33*; *etiam Mico in opere prosodiaco, PLAC 3.272, 280, 283* || 43—44 (iussit ... montes) *Lact. Div. Inst. 2.5.1*

[$\alpha\varepsilon$ **ELMNPU**^{3}**W**] 23 aethere ε**MW** || 24 diremit **e** || 25 locavit α^1 || 27 fecit $\alpha\varepsilon$**MW** legit **A** || 29 hic α || 30 sui **F**^{2}**U**^{3}**eh** || 31 ultima] extima *Bentley* || 33 coegit α || 36 tunc **F**^{2}**M** | diffudit **A** diffundit α diffundi *Heinsius* || 41 partim partimque ε **P** | recepto α || 43 valles subs. campos α || 50 inter utrumque *duo Leidenses* (*Burmann*) in utrumque α inter utramque **A**

inminet his aër; qui quanto est pondere terrae,
pondere aquae levior, tanto est onerosior igni.
illic et nebulas, illic consistere nubes
55 iussit et humanas motura tonitrua mentes
et cum fulminibus facientes fulgora ventos.
his quoque non passim mundi fabricator habendum
aëra permisit; vix nunc obsistitur illis,
cum sua quisque regant diverso flamina tractu,
60 quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.
Eurus ad Auroram Nabataeaque regna recessit
Persidaque et radiis iuga subdita matutinis;
vesper et occiduo quae litora sole tepescunt
proxima sunt Zephyro; Scythiam Septemque triones
65 horrifer invasit Boreas; contraria tellus
nubibus adsiduis pluviaque madescit ab Austro.
haec super inposuit liquidum et gravitate carentem
aethera nec quicquam terrenae faecis habentem.
Vix ita limitibus dissaepserat omnia certis,
70 cum, quae pressa diu fuerant caligine caeca,
sidera coeperunt toto effervescere caelo;
neu regio foret ulla suis animalibus orba,
astra tenent caeleste solum formaeque deorum,
cesserunt nitidis habitandae piscibus undae,
75 terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisque capacius altae
deerat adhuc et quod dominari in cetera posset:
natus homo est, sive hunc divino semine fecit
ille opifex rerum, mundi melioris origo,

55 (et humanas ... mentes) *Seneca N. Q. 2.1.2* || **57** (mundi fabricator) *hunc locum respexit Lact. Div. Inst. 1.5.13, Epit. 3.5* || **61—66** (Eurus ... proxima sunt Zephyris ... Austro) *Seneca N. Q. 5.16.1* || **64** (Scythiam ... triones) *Diomedes Ars Gr.* (*Keil I 436*) || **76—78** (sanctius ... natus homo est) *Lact. Div. Inst. 2.8.64* || **79** (opifex rerum) *hunc locum respexit Lact. Div. Inst. 2.5.1, Epit. 3.5, etiam Paulinus Nolanus c. 5.8 et Arator Act. Apost. 2.472*

[**76—80** $\alpha\varepsilon$ **ELMNPUW**] **53** *om.* N^1 | igne $\varepsilon F^2N^3\theta$ || **56** fulgora α frigora **A** || **59** regant **MW**^{1} regat ε **A** | rotat—fulmina α || **64** trionem **MNP**^{1}**U**^{3} || **66** pluviaque *Gilbert* pluvioque **A** || **68** aera N^1 || **69** vix ea L^1M atque ea α | dissaepserat *Merkel* dissepserat α disserpserat N^1 discerpserat **A** || **70** tum **M** | quaeque diu pressa εU^3 | fuerant caligine caeca (multa **N**) α**N** massa latuere sub (illa **MPWU**^{3}, ipsa ε**EF**^{2}**L**$^2\theta$) **A** || **71** fervescere **LU**^{3} || **72** animantibus *Heinsius* || **76** *incipit* U^1 || **77** possit **N** || **79** origo] imago **h**

80 sive recens tellus seductaque nuper ab alto
aethere cognati retinebat semina caeli;
quam satus Iapeto mixtam pluvialibus undis
finxit in effigiem moderantum cuncta deorum,
pronaque cum spectent animalia cetera terram,
85 os homini sublime dedit caelumque videre
iussit et erectos ad sidera tollere vultus.
sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus
induit ignotas hominum conversa figuras.
Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
90 sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
poena metusque aberant nec verba minantia fixo
aere legebantur nec supplex turba timebat
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
95 montibus in liquidas pinus descenderat undas,
nullaque mortales praeter sua litora norant.
nondum praecipites cingebant oppida fossae,
non tuba directi, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erat: sine militis usu
100 mollia securae peragebant otia gentes.
ipsa quoque inmunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,
contentique cibis nullo cogente creatis
arbuteos fetus montanaque fraga legebant
105 cornaque et in duris haerentia mora rubetis
et, quae deciderant patula Iovis arbore, glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
mulcebant Zephyri natos sine semine flores;
mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
110 nec renovatus ager gravidis canebat aristis:

84—86 (pronaque ... vultus) *Lact. Div. Inst. 2.1.15; Isidorus Orig. 11.1.5; Beda in Genesim 1.786; Io. Saresber. Policrat. 8.24* (*Webb II 414*); *Hugo St. Vict. De Best. 3.59; alii saec. XII; hunc locum etiam respexerunt Augustinus Trinit. 12.1.9 et Avitus 1.69—70* || 100 (mollia ... otia) *hunc versum imitatur Orientius Comm. 2.339* || 105 (duris ... rubetis) *Petronius Frag. 35.3*

[81—193 $\alpha\varepsilon\pi$ **ELMNPUW**] 82 pluvialibus α fluvialibus **A** || 91—93 *praebent* **F²MW** *om.* **A** (*in marg.* **LN²PU**) || 92 legebantur **F²W²** ligabantur **A** || 94 viserat α visceret ε || 99 erant α || 100 secure **LUW** || 103 cogente] cultore **L²** || 105 mora] *A*oma α || 107 austris **NP**

flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
flavaque de viridi stillabant ilice mella.
Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,
115 auro deterior, fulvo pretiosior aere.
Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,
perque hiemes aestusque et inaequalis autumnos
et breve ver spatiis exegit quattuor annum.
tum primum siccis aër fervoribus ustus
120 canduit, et ventis glacies adstricta pependit;
tum primum subiere domos: domus antra fuerunt
et densi frutices et vinctae cortice virgae;
semina tum primum longis Cerealia sulcis
obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.
125 Tertia post illam successit aenea proles,
saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,
non scelerata tamen; de duro est ultima ferro.
protinus inrupit venae peioris in aevum
omne nefas, fugere pudor verumque fidesque;
130 in quorum subiere locum fraudesque dolique
insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
vela dabat ventis nec adhuc bene noverat illos
navita, quaeque diu steterant in montibus altis,
fluctibus ignotis insultavere carinae,
135 communemque prius ceu lumina solis et auras
cautus humum longo signavit limite mensor.
nec tantum segetes alimentaque debita dives
poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae,
quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,
140 effodiuntur opes, inritamenta malorum;

111 (flumina iam ... ibant) *Lact. Div. Inst. 5.5.7* || 111—112 (flumina iam ... mella) *hunc locum respexit Hieron. in Is. 9.30* || 131 (amor ... habendi) *hunc locum respexerunt Prudentius Psych. 478 et Paulinus Nol. c. 6.243* || 138—140 (viscera ... opes) *hunc locum respexit Lact. Div. Inst. 7.3.9*; (viscera terrae) *etiam Paulinus Petricorda Vita Martini 1.269* || 140 (effodiuntur ... malorum) *Mico Exempla Div. Auct. 152*; *Walterus de Cast. Sat. 7.3.4*

[$\alpha\varepsilon\pi$ **ELMNPUW**] 114 subiit $\alpha\varepsilon$**ENP** subiitque **MN²UW** subiit hinc **L** || 118 et] in **N¹** || 119 tunc **NU** || 121 tunc **N** | domos] domus ε**MW¹h** || 125 illas **LP** illa **U** | surrexit **W** || 129 fugere] fugitque α || 131 invidiaeque **U** || 132 dabat **LMNUW** dabant $\alpha\varepsilon^2\pi$**EPe** | neque $\alpha\varepsilon\pi$**Nue** || 134 exultavere α || 135 aurae ε **LM²Pe** aura **W** || 138 in] per **N**

iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
145 non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
inminet exitio vir coniugis, illa mariti;
lurida terribiles miscent aconita novercae;
filius ante diem patrios inquirit in annos.
victa iacet pietas, et Virgo caede madentes,
150 ultima caelestum, terras Astraea reliquit.
Neve foret terris securior arduus aether,
adfectasse ferunt regnum caeleste Gigantas
altaque congestos struxisse ad sidera montes.
tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
155 fulmine et excussit subiectae Pelion Ossae;
obruta mole sua cum corpora dira iacerent,
perfusam multo natorum sanguine Terram
inmaduisse ferunt calidumque animasse cruorem
et, ne nulla suae stirpis monimenta manerent,
160 in faciem vertisse hominum. sed et illa propago
contemptrix superum saevaeque avidissima caedis
et violenta fuit: scires e sanguine natos.
Quae pater ut summa vidit Saturnius arce,
ingemit et facto nondum vulgata recenti
165 foeda Lycaoniae referens convivia mensae
ingentes animo et dignas Iove concipit iras
conciliumque vocat; tenuit mora nulla vocatos.
est via sublimis caelo manifesta sereno:
lactea nomen habet candore notabilis ipso;
170 hac iter est superis ad magni tecta Tonantis
regalemque domum: dextra laevaque deorum

144—148 (non hospes ... annos) *Seneca Ira 2.9.2;* 144—146 (non hospes ... mariti) *Seneca Benef. 5.15.3* || 144 (vivitur ... tutus) *Walterus de Cast. Sat. 5.13.4* || 149 (caede madentes) *imitatur Claudius Marius Victor 2.252* || 150 (ultima ... reliquit) *hunc locum respexit Io. Saresber. Policrat. 7.21* (*Webb II 200*) || 167 (tenuit ... vocatos) *imitatur Fortunatus 8.3.201*

[$\alpha\varepsilon\pi$ **ELMNPUW**] 144 raptu ε || 148 incurrit e | desiderat annos **P** || 149 madentis α**N** || 152 gigantas $\alpha\varepsilon$**EN**^{1}**P**^{2}**U** gigantes π**LMN**^{2}**P**^{1}**W** || 154 omnipudens **N** || 155 subiectae α**M**^{1} subiecto **A** subiectum **Le** || 156 *om.* ε || 159 suae] ferae ε || 161 saevaeque *om.* **M** || 163 vidit summa **NU** || 165 mensae] cenae **EUe** || 166 animo et $\alpha\varepsilon\pi$**N**^{1}**U** animo (et *eras.* **Eh**, *om.* **P**) **EPh** animos et ε^1**LMN**^{2}**W** | Iove *om.* **MN**

atria nobilium valvis celebrantur apertis,
plebs habitat diversa locis: hac parte potentes
caelicolae clarique suos posuere penates;
175 hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
haud timeam magni dixisse Palatia caeli.
ergo ubi marmoreo superi sedere recessu,
celsior ipse loco sceptroque innixus eburno
terrificam capitis concussit terque quaterque
180 caesariem, cum qua terram, mare, sidera movit;
talibus inde modis ora indignantia solvit:
'Non ego pro mundi regno magis anxius illa
tempestate fui, qua centum quisque parabat
inicere anguipedum captivo bracchia caelo.
185 nam quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
corpore et ex una pendebat origine bellum;
nunc mihi, qua totum Nereus circumsonat orbem,
perdendum est mortale genus: per flumina iuro
infera sub terras Stygio labentia luco,
190 cuncta prius temptata, sed inmedicabile corpus
ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
sunt mihi semidei, sunt, rustica numina, Nymphae
Faunique Satyrique et monticolae Silvani,
quos, quoniam caeli nondum dignamur honore,
195 quas dedimus certe terras habitare sinamus.
an satis, o superi, tutos fore creditis illos,
cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
struxerit insidias notus feritate Lycaon?'
Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
200 talia deposcunt: sic, cum manus inpia saevit
sanguine Caesareo Romanum extinguere nomen,
attonitum tanto subitae terrore ruinae

173—174 (plebs ... a [hac SH] fronte ... penates) *Lact. Div. Inst. 1.16.12* || 184 (inicere ... caelo) *imitatur Io. Saresber. Policrat. 7.1* (*Webb II 94*) || 191 (ne ... trahatur) *Alanus de Ins. Anticl. 6.324*

[194—199 $\alpha\varepsilon$ ELMNPUW] 173 hac parte α hac fronte ε πNPU^2 a fronte ELMU^{1}W || 176 caeli] regis M^{2}N^{3}PU^2 || 178 ipse] ille N || 190 temptata αL (N^1) temptanda A | corpus α εLMPU^2 vulnus πEL^{2}N^2 (*in ras.*) W^3 e || 191 est *om.* αN^1 || 194 nondum caeli P | dignantur W || 198—255 *om.* N *folio amisso, suppl.* N^4 || 198 struxerat U || 199 confremuere *Vat. 11457* contremuere A | -que *om.* U || 202 tanto subito W tantae subito εL

humanum genus est totusque perhorruit orbis,
nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est,
205 quam fuit illa Iovi. qui postquam voce manuque
murmura conpressit, tenuere silentia cuncti.
substitit ut clamor pressus gravitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit:
'Ille quidem poenas (curam hanc dimittite) solvit;
210 quod tamen admissum, quae sit vindicta, docebo.
contigerat nostras infamia temporis aures;
quam cupiens falsam summo delabor Olympo
et deus humana lustro sub imagine terras.
longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum,
215 enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Maenala transieram latebris horrenda ferarum
et cum Cyllene gelidi pineta Lycaei:
Arcadis hinc sedes et inhospita tecta tyranni
ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.
220 signa dedi venisse deum, vulgusque precari
coeperat: inridet primo pia vota Lycaon,
mox ait 'experiar, deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis; nec erit dubitabile verum.'
nocte gravem somno necopina perdere morte
225 me parat: haec illi placet experientia veri.
nec contentus eo est: missi de gente Molossa
obsidis unius iugulum mucrone resolvit
atque ita semineces partim ferventibus artus
mollit aquis, partim subiecto torruit igni.
230 quod simul inposuit mensis, ego vindice flamma
in domino dignos everti tecta penates;
territus ipse fugit nactusque silentia ruris
exululat frustraque loqui conatur; ab ipso
colligit os rabiem solitaeque cupidine caedis

219 (ingredior ... noctem) *Mico Exempla Div. Auct. 213*

[**200—255** *ε* **ELMN⁴PUW**] **204—206** *in marg.* **E** || **206** *om.* *ε* *in marg.* **M²U²** | murmura conpressit] terruit adstantes **P** || **209** solvet **U** || **217** *in marg.* **M²** || **218** arcadis **MP** arcados *ε* **U²e** arcades **ELW** arc(h)adas **N⁴U** | hinc **A** hic *ε***M** || **219** ingredimur **E** || **222** discrimine certo **N⁴** || **225** comparat **U**, *etiam* *ε*¹**M¹**, *ut Lenz demonstravit* || **226** est *om.* **L** | missi] amici **E** || **230** quos **N⁴** (*per corr.*) **P** || **231** domino *Ciofanus* dominum **A** | dignos *ε***MN⁴** et dignos **P** dignosque **ELUW** || **233** ab illo **M**

235 utitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.
in villos abeunt vestes, in crura lacerti:
fit lupus et veteris servat vestigia formae;
canities eadem est, eadem violentia vultus,
idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.
240 occidit una domus, sed non domus una perire
digna fuit; qua terra patet, fera regnat Erinys.
in facinus iurasse putes; dent ocius omnes
quas meruere pati, sic stat sententia, poenas.'
Dicta Iovis pars voce probant stimulosque frementi
245 adiciunt, alii partes adsensibus inplent;
est tamen humani generis iactura dolori
omnibus, et, quae sit terrae mortalibus orbae
forma futura, rogant, quis sit laturus in aras
tura, ferisne paret populandas tradere terras.
250 talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae)
rex superum trepidare vetat subolemque priori
dissimilem populo promittit origine mira.
Iamque erat in totas sparsurus fulmina terras;
sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
255 conciperet flammas longusque ardesceret axis.
esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,
quo mare, quo tellus correptaque regia caeli
ardeat et mundi moles operosa laboret.
tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum:
260 poena placet diversa, genus mortale sub undis
perdere et ex omni nimbos demittere caelo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris
et quaecumque fugant inductas flamina nubes,
emittitque Notum: madidis Notus evolat alis
265 terribilem picea tectus caligine vultum:
barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
fronte sedent nebulae, rorant pennaeque sinusque;

241—242 (qua ... putes) *Seneca N. Q. 4, praef. 19* || 256—258 (esse quoque ... laboret) *Lact. Ira dei 23.6* || 265 (picea ... caligine) *imitatur Hist. Apoll. reg. Tyrii 11.4*

[256—303 ε **ELMNPUW**] 235 vertitur ε**L** || 244 probat **L** || 246 est autem **E** || 247 orbi (-i *in ras.* **U**) ε**U** || 255 longusque ε**MN⁴PU** totusque **ELWe** || 257 corruptaque **L** || 258 moles operosa **ELP²U** moles onerosa **e** moles obsessa **Wh** proles obsessa ε**MNP¹** || 261 demittere ε**MW** di- **A**

utque manu late pendentia nubila pressit,
fit fragor: hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
270 nuntia Iunonis varios induta colores
concipit Iris aquas alimentaque nubibus adfert:
sternuntur segetes et deplorata colonis
vota iacent longique perit labor inritus anni.
Nec caelo contenta suo est Iovis ira, sed illum
275 caeruleus frater iuvat auxiliaribus undis.
convocat hic amnes. qui postquam tecta tyranni
intravere sui, 'non est hortamine longo
nunc' ait 'utendum: vires effundite vestras;
sic opus est. aperite domos ac mole remota
280 fluminibus vestris totas inmittite habenas.'
iusserat; hi redeunt ac fontibus ora relaxant
et defrenato volvuntur in aequora cursu.
ipse tridente suo terram percussit, at illa
intremuit motuque vias patefecit aquarum.
285 exspatiata ruunt per apertos flumina campos
cumque satis arbusta simul pecudesque virosque
tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.
siqua domus mansit potuitque resistere tanto
indeiecta malo, culmen tamen altior huius
290 unda tegit, pressaeque latent sub gurgite turres;
iamque mare et tellus nullum discrimen habebant:
omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem, cumba sedet alter adunca
et ducit remos illic, ubi nuper ararat;
295 ille supra segetes aut mersae culmina villae
navigat, hic summa piscem deprendit in ulmo;

270—271 (nuntia ... aquas) *Bernardus Silv. in Aen. p. 7,1* || **272—273** (sternuntur ... deplorata colonis ... anni) *Seneca N. Q. 3.28. 2* | (deplorata ... iacent) *fortasse imitatur Alanus de Ins. Anticl. 9.401-2* || **274—275** (nec caelo ... undis) *Scholia Bern. in Lucan. 5.621* || **285** (exspatiata ... campos) 'ut ait ille poetarum ingeniosissimus egregie' *Seneca N. Q. 3.27.14* || **290** (pressaeque labant [latent F] ... turres) *id.* || **292** (omnia pontus erat ... ponto) *Seneca N. Q. 3.27.13*

[ε **ELMNPUW**] **268** lata **E** || **269** hinc **MNW** et ε**ELPUW**³ || **272** coloni ε**NP** || **273** labor perit **ELP** || **275** auxiliantibus **N** || **278** vestras—vires **Wh** || **282** aequore **e** || **284** infremuit **N** || **285** et spatiata **e** | apertas—valles ε || **290** labant *Seneca* || **292** erant **MPW**¹**e** erat ε**ELNU** || **293** colles **LM** || **294** arabat **N** (*corr.*) aravit **N**³**p** || **295** super **ELe** | et mersae **P**

figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato,
aut subiecta terunt curvae vineta carinae,
et, modo qua graciles gramen carpsere capellae,
300 nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.
mirantur sub aqua lucos urbesque domosque
Nereides, silvasque tenent delphines et altis
incursant ramis agitataque robora pulsant.
nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,
305 unda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
crura nec ablato prosunt velocia cervo,
quaesitisque diu terris, ubi sistere possit,
in mare lassatis volucris vaga decidit alis.
obruerat tumulos inmensa licentia ponti,
310 pulsabantque novi montana cacumina fluctus.
maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
illos longa domant inopi ieiunia victu.
Separat Aonios Oetaeis Phocis ab arvis,
terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
315 pars maris et latus subitarum campus aquarum;
mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
nomine Parnasus, superantque cacumina nubes:
hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,
320 Corycidas nymphas et numina montis adorant
fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat:
non illo melior quisquam nec amantior aequi
vir fuit aut illa metuentior ulla deorum.
Iuppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
325 et superesse virum de tot modo milibus unum

304 (nat ... leones) *id.*; (nat ... oves) *Eutyches Ars 2.9* (*Keil V 479*) || **315** (campus aquarum) *Paulinus Petricorda Vita Martini 2.416, 5.781* || **316** (mons ... ferit ... duobus) *Schol. Bern. in Lucanum 3.173*

[**304—309** $\alpha\varepsilon$ **ELMNPUW** **310—412** ε **ELMNPUW**] **298** terunt **EN**^{1}**U**e tegunt ε**LM**^{2}**N**^{3}**PW**p || **299** qua **P**^{2}**U**^{2} quo **A** || **300** sua pignora **P** || **302** et **ELMPW** in ε**NUe** || **303** corpora pulsant **E** || **304—6** *sic* **ELN**^{2}**PUW**: *hemistichia* nec vires—apro *et* fulvos—leones *inter se commutata* α: **304** nec vires—apro, *sed* fulvos—tigres *om.* εt **M**^{1}**N**^{1} (*inde ex eodem fonte derivata sunt* $\alpha\varepsilon$t**MN**) || **307** posset αe detur **L** || **309** cumulos **EL** || **313** Oetaeis *Gierig* actaeis **A** | phocas ε**L** || **316** petit] ferit *schol. Lucan.* stetit ε || **317** superantque **MN**(**W**^{1}) superatque ε**EL** **PUW**^{2}e | cacumine ε**L** **N**^{1}**PW** (*in ras.*) **h**^{1} || **318** traxerat **W**^{1} || **320** adorat **EPe** || **323** reverentior **EUe** | dearum **PU**^{2}**W**^{2}e || **325** virum] videt **N**^{2} (*in ras.*) **P**^{2}**U**

et superesse videt de tot modo milibus unam,
innocuos ambo, cultores numinis ambo,
nubila disiecit nimbisque aquilone remotis
et caelo terras ostendit et aethera terris.
330 nec maris ira manet, positoque tricuspide telo
mulcet aquas rector pelagi supraque profundum
exstantem atque umeros innato murice tectum
caeruleum Tritona vocat conchaeque sonanti
inspirare iubet fluctusque et flumina signo
335 iam revocare dato: cava bucina sumitur illi,
tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo,
bucina, quae medio concepit ubi aëra ponto,
litora voce replet sub utroque iacentia Phoebo.
tunc quoque, ut ora dei madida rorantia barba
340 contigit et cecinit iussos inflata receptus,
omnibus audita est telluris et aequoris undis
et, quibus est undis audita, coercuit omnes.
iam mare litus habet, plenos capit alveus amnes,
flumina subsidunt collesque exire videntur,
345 surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis,
postque diem longam nudata cacumina silvae
ostendunt limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat; quem postquam vidit inanem
et desolatas agere alta silentia terras,
350 Deucalion lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis:
'O soror, o coniunx, o femina sola superstes,
quam commune mihi genus et patruelis origo,
deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt,
terrarum, quascumque vident occasus et ortus,
355 nos duo turba sumus: possedit cetera pontus.
haec quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae
certa satis; terrent etiam nunc nubila mentem.
quis tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
nunc animus, miseranda, foret? quo sola timorem

330—331 (positoque ... aquas) *Priscian. 5.5.30 et 6.67*

[ε **ELMNPUW**] 326 *in marg.* ε**M**^{2}**N**^{2}**U**^{2} | et] ac **ELW** || 327 ambo (*bis*) ε**N** ambos **A** || 328 deiecit **P** || 333 conchaeque ε**P**^{1}**h** conchaque **A** || 338 latentia ε || 340 receptus ε**p** recessus **A** || 342 undas **Mh** || 344 colles **e** || 345 loca] sola *Heinsius* || 346 longum **eh** || 348 inanem ε**MNPUW** apertum **ELe** || 350 abortis **LM** || 357 etiamnum **N**^{1} || 359 timores **P**

360 ferre modo posses? quo consolante doleres?
namque ego, crede mihi, si te quoque pontus haberet,
te sequerer, coniunx, et me quoque pontus haberet.
o utinam possim populos reparare paternis
artibus atque animas formatae infundere terrae!
365 nunc genus in nobis restat mortale duobus
(sic visum superis) hominumque exempla manemus.'
Dixerat, et flebant; placuit caeleste precari
numen et auxilium per sacras quaerere sortes.
nulla mora est: adeunt pariter Cephisidas undas,
370 ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.
inde ubi libatos inroravere liquores
vestibus et capiti, flectunt vestigia sanctae
ad delubra deae, quorum fastigia turpi
pallebant musco stabantque sine ignibus arae.
375 ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo,
atque ita 'si precibus' dixerunt 'numina iustis
victa remollescunt, si flectitur ira deorum,
dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri
380 arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus.'
mota dea est sortemque dedit: 'discedite templo
et velate caput cinctasque resolvite vestes
ossaque post tergum magnae iactate parentis.'
Obstipuere diu, rumpitque silentia voce
385 Pyrrha prior iussisque deae parere recusat,
detque sibi veniam, pavido rogat ore pavetque
laedere iactatis maternas ossibus umbras.
interea repetunt caecis obscura latebris
verba datae sortis secum inter seque volutant.
390 inde Promethides placidis Epimethida dictis
mulcet et 'aut fallax' ait 'est sollertia nobis,

366 (sic visum superis) *Pseudoacr. in Horat. c. 1.33.10* || 390 (inde Promethi des ... dictis) *Priscian. 2.37*

[ε **ELMNPUW**] 360 doleres **ENP** (*ex corr.*) **UWe** dolores ε**LM**[1] || 361 quoque] modo **N**[3]**U** || 362 sed me **N**[1] || 363 possim ε**MNW**[1] possem **ELPU** | reparare] formare **NU** || 366 visum est **LW**[2]**eh** || 370 ut **M**[1]**N**[1] et ε**EUWeh** iam **P** sed **L** | sic **M**[1]**N**[1] set (sed) **A** || 379 dicite qua ε | damnum generis **W** || 382 cunctasque **Me** || 384 rumpitque ε**MN**[1]**W** rupitque **ELN**[2]**PUe** || 388 caecisque ε**Lh** || 389 datae **ELN**[2]**PU**[3] (*in ras.*) **W**[2] (*in ras.*) **e** deae ε**MN**[1] || 390 inde **EUe** *Priscianus* hinc ε**LMNPW**

aut (pia sunt nullumque nefas oracula suadent)
magna parens terra est: lapides in corpore terrae
ossa reor dici; iacere hos post terga iubemur.'
395 Coniugis augurio quamquam Titania mota est,
spes tamen in dubio est: adeo caelestibus ambo
diffidunt monitis. sed quid temptare nocebit?
discedunt velantque caput tunicasque recingunt
et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
400 saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
ponere duritiem coepere suumque rigorem
mollirique mora mollitaque ducere formam.
mox ubi creverunt naturaque mitior illis
contigit, ut quaedam, sic non manifesta videri
405 forma potest hominis, sed, uti de marmore coepta,
non exacta satis rudibusque simillima signis.
quae tamen ex illis aliquo pars umida suco
et terrena fuit, versa est in corporis usum;
quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa;
410 quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit;
inque brevi spatio superorum numine saxa
missa viri manibus faciem traxere virorum,
et de femineo reparata est femina iactu.
inde genus durum sumus experiensque laborum
415 et documenta damus, qua simus origine nati.
Cetera diversis tellus animalia formis
sponte sua peperit, postquam vetus umor ab igne
percaluit solis caenumque udaeque paludes
intumuere aestu fecundaque semina rerum
420 vivaci nutrita solo ceu matris in alvo
creverunt faciemque aliquam cepere morando.
sic, ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus et antiquo sua flumina reddidit alveo

393—394 (lapides ... dici) *Schol. in Persium 6.51* || 400 sqq. *hunc locum respexerunt Iuvenalis 1.81 sq., Claudius Marius Victor Alethias 1.204—10, Avitus 4.1—7* || 414—415 (unde genus ... nati) *Probi Comm. in Georg. 1.63* || 420 (matris in alvo) *Aenigmata Tatuini 17* || 422—428 (sic ubi ... numeris) *Lactantii Comm. in Stat. Theb. 4.704*

[413—445 ε **ELMNPU³W**] 392 at **W** || 397 nocebit **MN³PW** nocebat ε**ELN¹U**e || 398 descendunt **EMW¹**e || 399 iusso ε || 401 duritiam ε**P**e || 404 ut] et **M** || 405 veluti sed **U** | coepto ε**E** || 413—70 **U³** *folio amisso* || 418 incaluit **N³U³** || 421 aliam **P**

aetherioque recens exarsit sidere limus,
425 plurima cultores versis animalia glaebis
inveniunt et in his quaedam modo coepta per ipsum
nascendi spatium, quaedam inperfecta suisque
trunca vident numeris, et eodem in corpore saepe
altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.
430 quippe ubi temperiem sumpsere umorque calorque,
concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus,
cumque sit ignis aquae pugnax, vapor umidus omnes
res creat, et discors concordia fetibus apta est.
ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
435 solibus aetheriis altoque recanduit aestu,
edidit innumeras species partimque figuras
rettulit antiquas, partim nova monstra creavit.
illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
tum genuit, populisque novis, incognite serpens,
440 terror eras: tantum spatii de monte tenebas.
hunc deus arquitenens et numquam talibus armis
ante nisi in dammis capreisque fugacibus usus
mille gravem telis, exhausta paene pharetra,
perdidit effuso per vulnera nigra veneno.
445 neve operis famam posset delere vetustas,
instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomitae serpentis nomine dictos.
hic iuvenum quicumque manu pedibusque rotave
vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem;
450 nondum laurus erat, longoque decentia crine
tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.
Primus amor Phoebi Daphne Peneia: quem non
fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.
Delius hunc nuper, victo serpente superbus,
455 viderat adducto flectentem cornua nervo

430—433 (quippe ... apta est) *Lact. Div. Inst. 2.9.20* || **452** sqq. *hanc fabulam respexit Hieronymus Comm. in Ioh. 2.2*

[**446—470** ε **EFLMNPU³W**] **426** coepta **LN²Ph** nata **EM²U³W²** || **426/7** modo coepta—quaedam *om.* ε**M¹N¹e¹** || **428** humeris ε**MN¹PU³W** || **432** umidus igni **e** || **437** reddidit **eh** || **439** incognita **N³P** || **441** hanc **N** | arc(h)itenens ε**E U³We** || **443** gravi **P¹W²** (*ex ras.*) **p** || **445** posset ε**ELU³We** possit **MNP** || **447** de domitae **NU³** || **448** hi(s *in ras.*) **N** | pedibusque ε**FMNPWe** pedibusve **LN²U³** || **452** quem **NEU³We** quam ε**F²LM²P** || **453** dedit] ferit **FP¹** || **454** victa ε**LNP**

'quid' que 'tibi, lascive puer, cum fortibus armis?'
dixerat, 'ista decent umeros gestamina nostros,
qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,
qui modo pestifero tot iugera ventre prementem
460 stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
tu face nescio quos esto contentus amores
inritare tua nec laudes adsere nostras.'
filius huic Veneris 'figat tuus omnia, Phoebe,
te meus arcus' ait, 'quantoque animalia cedunt
465 cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.'
dixit et eliso percussis aëre pennis
inpiger umbrosa Parnasi constitit arce
eque sagittifera prompsit duo tela pharetra
diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;
470 quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta,
quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.
hoc deus in nympha Peneide fixit, at illo
laesit Apollineas traiecta per ossa medullas:
protinus alter amat, fugit altera nomen amantis
475 silvarum latebris captivarumque ferarum
exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes;
vitta coercebat positos sine lege capillos.
multi illam petiere, illa aversata petentes
inpatiens expersque viri nemora avia lustrat
480 nec, quid Hymen, quid Amor, quid sint conubia, curat.
saepe pater dixit 'generum mihi, filia, debes',
saepe pater dixit 'debes mihi, nata, nepotes':
illa velut crimen taedas exosa iugales
pulchra verecundo subfuderat ora rubore
485 inque patris blandis haerens cervice lacertis
'da mihi perpetua, genitor carissime,' dixit
'virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae.'
ille quidem obsequitur; sed te decor iste, quod optas,

484 (pulchra ... rubore) *versum imitatur Ambrosius Distich. 3.18.1*

[471—534 ε **EFLMNPUW**] 460 innumeris **A** (*in ras.* N^2) innocuis **M** || 462 inritare **ENU**^{3} **he** invitare $ε^2$**LP** indignare ε indagare **M** inflammare **F** (*in ras.*) **W** | nostras – laudes **L** || 465 deo] tibi N^3**P** || 468 atque εE^1**FP** || 470 acuto **M** || 472. 470. 471 **E** || 472 illud ε || 475 tenebris **M** || 477 *om.* εMN^1 || 478 aversata ε**FLMP** adversata **ENUW** || 481 *in marg.* MN^2**U** || 482. 481 **e** || 484 subfuderat **FMNU**^{1}**W** suffundit ε suffunditur **Pe** suffundens **ELU**^{2}

esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.
490 Phoebus amat visaeque cupit conubia Daphnes,
quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt;
utque leves stipulae demptis adolentur aristis,
ut facibus saepes ardent, quas forte viator
vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,
495 sic deus in flammas abiit, sic pectore toto
uritur et sterilem sperando nutrit amorem.
spectat inornatos collo pendere capillos
et 'quid, si comantur?' ait; videt igne micantes
sideribus similes oculos, videt oscula, quae non
500 est vidisse satis; laudat digitosque manusque
bracchiaque et nudos media plus parte lacertos:
siqua latent, meliora putat. fugit ocior aura
illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:
'Nympha, precor, Penei, mane! non insequor hostis;
505 nympha, mane! sic agna lupum, sic cerva leonem,
sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
hostes quaeque suos; amor est mihi causa sequendi.
me miserum! ne prona cadas indignave laedi
crura notent sentes, et sim tibi causa doloris.
510 aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,
curre fugamque inhibe: moderatius insequar ipse.
cui placeas, inquire tamen; non incola montis,
non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
horridus observo. nescis, temeraria, nescis,
515 quem fugias, ideoque fugis. mihi Delphica tellus
et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
Iuppiter est genitor. per me, quod eritque fuitque
estque, patet; per me concordant carmina nervis.
certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
520 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.

502 (quaeque latent ... putat) *Quintil. Inst. Or. 8.3.47* || **509** (sim tibi causa doloris) *imitatur Carm. lat. epigr. 443,7*

[ε **EFLMNPUW**] **491** quaeque **E** || **492** demptis] densis **NU** | a(b *ex* d N^2) olentur **N** || **493** ut] et U^2e || **498** comerentur ε**LP** || **502** quaeque *Quintilianus* || **504** mane(as *eras.*) **N** || **509** notent] secent $L^2N^3U^2$ | sum **W** || **510** quo ε || **511** insequor ε || **518** nervis] verbis **FM** || **519** quidem $EF^2LN^4P^2W$ tamen ε**M** licet **NU** || **520** fecit *in ras.* N^3 figit **U**